ENCHIRIDIUM
QUADRIPARTITUM
P. VINCENTII von BERG
FRANCISCANI CONVENTUALIS.

PARS PRIMA

Exhibet

VARIAS, SELECTAS, EXQUISITISSImasque Benedictiones rerum omnigenarum Appprobatas; & quibus Viri Sancti usi dicuntur.

PARS SECUNDA

Tractat

DE REGULIS ARTIS EXORCISTICÆ cum suis Exorcismis, ac Remediis adversùs quævis maleficia, & id genus, afflictiones tàm hominum, quàm animalium.

PARS TERTIA

Agit

DE ARCHI-CONFRATERNITATE S. P. N. Francisci, Chordigeris, Tertiariis, Novena S. Antonii, ejus Confraternitate, nec non Ordini nostro Affiliatis.

PARS QUARTA

Præscribit modum

ÆGROS, AGONIZANTESQUE ADJUVANDI; agendi cum obstinatis, Hæreticis convertendis, Sagis Examinandis, incarceratis invisendis, Reisque Educendis. Accedit horum ANACEPHALÆOSIS in germanismo.

In hanc commodissimam formam redactum, iconibus illustratum, Indicéque Alphabetico instructum.

Cum Permissu Superiorum

Coloniæ, typis Joannis Conradi Gussen, sub Semilunio prope PP. Prædicatores. 1743.

7440 B 449

DEDICATIO.

Admodum Reverendo, Eximio Dignissimóque Patri,

P. FRIDERICO ODEKIRCKEN,

Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium, in Universitate Coloniensi Sacrosanctæ Theologiæ Licentiato, & in Ordine Magistro, Almæ Provinciæ Coloniensis de SS. Tribus Regibus Diffinitori perpetuo, Ministro Provinciali, & Commissario Generalis, &c. &c.

Adm. Reverende ac Eximie Pater

DUm præter alia nunc luci data, ultimis confessariatûs mei diebus, in sacri otii monumentum ***Enchiridium*** hoc mihi, ***Præsul integerrime*** ! & aliis in usum ex aliorum libris, quales in perbrevi adeò amussi non ita ad manum sunt, collegeram, maximè urgente me eorundem desideriô, quorum annutui obsequentissimum me futurum simul voveram: id quicquid est opellæ, quantùm possum animi reverentis demissione exhibeo, dico, inscribo venerabundus ***Eximiæ Paternitati Tuæ***, salutans eodem tanquam homagiô ***tibi*** debitô Præsulatûs ***Tui*** auspicia non verecundè. Etenim non est, quòd verear, ne offendaris operis exilitate, præsertim cùm cultor sis nedum sacrarum litera-

4666

terarum, quarum ſcientia, per ſe *in te* pulchra, fucô non eget, verùm rerum potiſſimùm religioſarum ſtudiô quàm inſtructiſſimus, cui ſimplex pietas admodùm amica eſt, absque omni pariter verborum lenocinio.

Omninò itaque futurum confido, ut hoc in paſſu, ſicuti altaria ſimpliciſſimos, ſincero ex corde conſecratos, floſculos præ opulentiſſimis Divitum donis ſeligunt, ità facilè admittas, quæ in aliorum commoditatem, utilitatémque ſimul, ùt ſperem, non exiguam, tàm impigrè in unum collecta ac conſcripta intueris. Accedit unum, quod me præ ceteris præfidentem facit, animat & provocat: foves *videlicet* perquàm paternè, quos *Dei Zelo ductos* aſpicis *non ſibi ſoli vivere ſed & aliis proficere*; & à quibus ſic fit ſatìs Menti *Seraphici Patris noſtri*, hos animô ſuſcipis benevolentiſſimô.

Nolim autem hìc, id quod in dedicatoriis fieri conſuevit, in arenam deſcendere laudationum tuarum perſonalium, quoniam mavis laude digna magìs facere, quàm laudari. Silebo igitur ego, cuncta ſilentiô involvens: palam, ſat palam tamen, aſt non parum loquitur, laudátque Virtus ipſa, quæ *Te*, utpotè tantis & corporis & animi excultum dotibus, *nimirùm* ingenii *Tui* claritate; ſapientiæ *Tuæ* lumine; judicii *Tui* perſpicaciâ; ſcientiæ & doctrinæ *Tuæ* profunditate, conſiliorum *tuorum* dexteritate, morúmque integritate adeò clarè præfulgentem, uno Electorum ore, uniſonóque *Provinciæ* applauſu ad Ordinis *Prælaturæ* culmen evexit; in quo ſummo Religioſi honoris ac Dignitatis faſtigio etiamnùm collocatus exiſtis *Decus Eximium*; proùt in ipſa Electionis die nobis in Nominis Tui (*Fridericus Odekirchen*) programmate perbellè præinſonuit hocce

)(3 inde

inde quodammodò proveniens anagramma: ***Refer! hic Ordini Decus.*** Unde inspectâ hac personæ ***Tua*** claritudine cognovi, ***Enchiridium hoc præsens***, cùm publicam aveat lucem, non aliò, ut similem majori cum Emolumento assequatur, dirigendum esse, nisí ***ad Te***; non dubitans, quin huic ***Tuum*** conferas splendorem, atque Solis instar ***celsa & humilia*** simul respicias, ***Tuam*** ipsi benedictionem impartiaris, ***Tuâ*** sinas frui benedictione, lucis ac tutelæ præsidiô gaudere: imò scivi, quòd ***Tibi*** gratius unquam devotissimæ observantiæ meæ tributum non præstitero, quàm dum istud, quantulumcunq; sit, gratus obtulero.

Patiêris ergò, ut ad Manus ***Tuas*** deferam ***primus*** id, quod totum nihil aliud est, quàm farrago quædam complurium utilium, quæ pridem in votis fuêre, ut cuilibet in promptu haberentur. Patiêris, ***inquam***, pro ***Tua*** laudatissima ***in Te*** comprobata humanitate, ut hoc amoris testimoniô ***Eximiam Paternitatem Tuam*** honorare liceat, sícque humillimô meô obsequiô aliquod honori ***Tuo*** Mnemosynon, nec non Reverentiæ ***Tibi*** debitæ pignus ponatur à cliente ex asse ***Tuo.*** Quod si impetravero; Deum, cœlitésque enixè orabo, ut felix regas, felix vivas, donec temporali vitæ tuæ luce extinctâ, cum illis, qui lucidas acceperunt sedes, cœlestibus illis aggregêris luminibus, & in perpetuas luceas æternitates, conformiter huic, quod ***Tibi*** sequens accinit Distichon anagrammatico-Chronograhicum:

Progr. Fridericus. ***Anagr.*** Fidê curris.

VIVe FIDe IVstVs tIbI, sIC benè CVrrIs In æVVM*
MoXqVè FIDe IVstVs, steLLVLa FIXa poLo es.

Ita ex filiali animo
EXIMIæ paternItatI TVæ
PIè et Integrè aDpreCabatVr
P. VInCentIVs Von Berg.

Approbatio DD. Ordinis S. Augustini.

LIbrum, cui titulus *Enchiridium* quadripartitum *P. Vincentii von Berg Franciscani Conventualis* in quo Collectæ comprehenduntur Variæ & Selectæ rerum omnigenarum benedictiones & artis Exorcisticæ Regulæ, cum remediis adversùs quævis maleficia, nec non agitur de Archi-Confraternitate *S. Francisci*, Chordigeris. &c. sicut & præscribitur modus ægros salubriter invisendi, agendíque cum obstinatis. &c.) attentè perlegentes nihil in eo fidei orthodoxæ, bonisque moribus contrarium invenientes luce publicâ dignum judicamus infrascripti Coloniæ ad S. Augustinum die 5tâ Martii. 1743.

Fr. Severinus Meyner *Ord. Fratrum Eremit.* S *Augustini* Theol. Magister, ejusdem in universitate Coloniensi strictæ facultatis Doctor & professor Ordin. & publ. provinciæ Coloniensis p. t. diffinitor & studiorum Regens. mppria.

Fr. Benedictus Heuschen *ejusdem Ordinis* SS. Theologiæ Doctor & professor Ordin. & publ. ac p. t. Conventûs Coloniensis Prior. mppria.

APPROBATIO.

QUasi apis argumentosa ex diversis floribus mella colligens Ecclesiæ Romano-Catholicæ deservit A. R. P. *Vincentius von Berg* Ordinis nostri *Vocalis perpetuus*, dum *Enchiridium suum quadripartitum* in gratiam omnium, præcipuè curam animarum habentium, è diversis quidem, probatis tamen, collegit authoribus. Dignum igitur censemus, quod lucem publicam typi beneficio aspiciat. Coloniæ in Conventu nostro S. Crucis Exaltatæ 12. Martii. 1743.

Fr. Nazarius Schmitz Ord. FF. Min. S. Franc. Convent &c. in Alma Universitate Coloniensi SS. Theolog. Doctor de Concilio ac Professor publ. Examinator Synodalis. mppria.

Fr. ADAMUS PüTZ Ord. FF. Min. Conventualium Diffinitor perpetuus, in Alma Ubiorum Universitate SS. Theol. Doctor & Professor publicus. mppria.

CENSURA THEOLOGICA.

PRæsens opusculum, cui titulus *Enchiridion* &c. ab Admodùm Reverendo Patre *Vincentio von Berg* Ordinis nostri Seraphici fratrum Minorum S. Francisci Conventualium Sacerdote & *Custode actuali* magno labore congestum diligenter perlegi, & cùm in nullo contrarietur bonis moribus, aut Catholicæ fidei, ac insuper sperem, fore utile omnibus ferè Religiosis pro quibusdam functionibus ritè peragendis, ideò publica luce dignum censeo. Datum Treviris in Conventu nostro ad S. Germanum 1743. 14. Febr.

Fr. PAULUS KOCH ejusdem Ordinis SS. Theol. Magister p. t. studiorum Regens mppria.

Licen-

Licentia Cenſoris Ordinarii.

PRæſens Tractatus ſive opuſculum ſub Titulo: *Enchiridion quadripartitum* Authore A. R. P. *Vincentio von Berg* Ordinis Seraphici Fratrum Minorum Sancti FranciſciConventualium Sacerdote *Theol. mor. olim Lect. Guard.* &c. utiliter & operoſo zelo elaboratum, nihil contra fidem Orthodoxam, aut bonos mores complectitur: proinde in commune bonum, & Adjutorium Chriſti fidelium, & in ſubſidium ſeu quotidianam manuductionem Religioſorum Sacerdotum pro debitè ſimilibus tractandis functionibus publicâ luce condecorari concedo. Datum Coloniæ Agrippinæ 6ta Martii 1743.

JOANNES NEUMAN J. U. D. Perinſignium Collegiatarum S. Severini, & Archidiaconalis S. Cuniberti, & ad S. Apoſtolos Canonicus & Decanus, Proto-Notarius Apoſtolicus, Sereniſſ. & Rdmi Principis Electoris Colonienſis Conſiliarius Eccleſiaſticus, ac per Archidiœceſin Librorum Cenſor Ordinarius m. p.

AMICE LECTOR!

ENchiridion, quod tibi pro quotidiana necessitate veluti Medullam rerum complurium perquàm utilium præmonstro, fateor! *non est ex toto flosculus ille meus.* Furti tamen, nolim, ut arguas, sed prudenti animadversione considera; est enim juris proprii, quod est communis. Messuerunt mihi alii; ast in eorum messe Apes imitatus sum, qui non ex omni flore mel suum conficiunt, sed florum delectum habent, & ex nobilissimis purissimum tantùm liquorem extrahunt: unde studiô Messorum illorum memini dextroversùm, ut collectæ meæ fidem adjicias eò firmiorem. Partitus sum idipsum in suas partes & Paragraphos, ut mox cuncta, quæ in tuam commoditatem conglomeravi ac perquisivi, ad manum essent seorsim, quod te amare præscio. Utere itaque eodem cum intentione pura & sancta, ut utendo bona acquiras non nisì spiritualia. Procul à te, imò longissimè sit avaritia, ne Diabolo, instar *Pythonissæ* illius, *quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis divinando. Act.* 16. In similem avaritiæ quæstum uti videaris. Scelus verò ejusmodi tunc committeret Exorcista, quando propter Dæmonis fugam procurandam munera exspectat Simoniaca. Utere, inquam, in solius Dei gloriam, proximique adjumentum, non immemor mei in sacra liturgia. Fruere & Vale!

Autho-

aVthores præCIpVI
è
qVIbVs DesVMpta sVnt,
qVæ seqVens pageLLa repræsentat. *

Pontifi-				Romanæ.
Ritu-	ale	Ecclesiæ		
Missa-				Coloniensis.

Thesaurus Bened. & Exorcism. Gelasii Di Cilia *Can. Ord. S. Aug.* sub Consistoriali Censura Patris Bartholomæi Langius *Minorita Convent. Theologiæ Doctoris* Ratisbonæ 1738.

Manuale Exorcism. Maximiliani ab Eynatten, SS. Theol. Licentiati. Antverpiæ. 1678.

Ex Societate Jesu, Del-rio, La Croix. Löhner, Layman, Nakatenus, Dirckinck.

Ordinis Carmelit. Ferdinandus à S. Ludovico.

Ordinis S. Benedicti. Ludovicus Blosius.

Lib. Precat. Simonis Verræpei. *N. P. C.* Humperdinck. *N. P. A.* Hambloch. *P. N. A.* Dolff. *N. P.* Cornelii Maes.

Manuscripta N. P. Magistri Antonii Wissing. qui scriptis & virtutibus clarus obiit Treviris 1716. cum fama sanctitatis.

Protestatio Authoris.

Quæ præterea huc aliundè quomodolibet accessêre, in cunctis humillimè subjicio Censuræ sanctæ Matris Ecclesiæ, contra cujus usum ne minimum me præsumere, aut attentare velle, hisce protestor.

REGU-

REGULÆ GENERALES.

1. BEnedicendi poteſtas nulli competit, nisì ſoli Sacerdoti vi Ordinationis ſuæ, in qua Deus & Eccleſia eidem dederunt poteſtatem, & conſecrandi Corpus Chriſti, & benedicendi quaſcunque res, tàm ſacras quàm non ſacras. Noverit tamen Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipſum, & quæ ad Epiſcopum ſuo jure pertineant, ne majoris dignitatis munera temerè aut imperitè unquam uſurpet.

2. Habitus Sacerdotis benedicturi erit, ſaltem extra miſſam, ſuperpelliceum & Stola, regulariter alba, aliquando Violacea. *Ita gav. p. 4. t. 19.* nam color albus deſignat puritatem communicandam rebus benedicendis; violaceus autem adhibetur congruè in benedictionibus conjunctis cum Exorciſmis ad effugandos dæmones: Unde ad aquæ benedictionem eo colore utimur; poteſt tamen adhiberi Stola coloris tempori, vel officio concordantis. *Ut in Rubricis dicitur.*

3. Sacerdos aliquid benedicturus habeat miniſtrum cum vaſe aquæ benedictæ & aſpergillo. Aſperſio verò fiat per modum unius crucis, primùm in medio, deinde ad dexteram: tùm ad ſiniſtram rei aſpergendæ. eodem modo fiat incenſatio, ubi hæc facienda eſt, nihil dicendo; nisì aliter notatum fuerit.

4. In principio cujuscunque benedictionis ſemper dicatur: *Adjutorium noſtrum, &c. Dominus vobiſcum, &c.* dein Oratio propria, una vel plures proùt

proüt ſuô locô ſignatum fuerit. Orationes autem ſive *Collectæ* pro varietate argumenti variè concluduntur. Quem in finem deſervient ſeq. verſiculi.

Per Dominum, dicat, ſi patrem quilibet orat.
Si Chriſtum memores, *per eundem*, dicere debes.
Si loqueris Chriſto, *qui vivis* ſcire memento.
Qui tecum, ſi ſit Collectæ finis in ipſo.
Si memores Flamen, *ejusdem* dic propè finem.

5. Exorciſmi non debent finiri, ſicut cæteræ orationes; ſed ita, nimirùm: *per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem.* Cujus diverſitatis cauſa eſt, quia nihil magìs Dæmones exhorrent, quàm extremi judicii memoriam, quô omnes in æternam gehennam detrudentur. *Ita Del-rio. pag. 992.*

6. Ubi in benedictionibus & Exorciſmis ponitur hæc nota † Sacerdos formet ſignum S. Crucis.

7. Apud ægrum præſtò ſint aqua bened. Crucifixus, Cereus, numiſmata, Roſaria, quibus affixæ ſunt indulgentiæ, liber precationum, &c.

8. Sacerdos in ſtatu disgratiæ exiſtens, ſi non habeat copiam confeſſarii vel temporis, corde pœniteat, dum ſacramenta cogitur adminiſtrare. Idem conſulitur Sacerdoti benedicturo aut exorcizaturo, *dicendo ſeq. orationem.*

ORATIO.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me indignum, qui primus miſericordia tua indigeo, clementer exaudi, & quem non Electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti hujus operis

ris ministrum ; da fiduciam tui muneris exequendi atque ipse in nostro ministerio , quod tuæ pietatis est , operare. Qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

PRÆPARATIO AD BENEDICENDUM vel Exorcizandum

Invocatio Spiritûs S.

Antiph. Veni S. Spiritus , reple tuorum corda fidelium , & tui amoris in eis ignem accende , qui per diversitatem linguarum gentes in unitate fidei congregâsti.

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

Oremus.

DEus , qui corda fidelium S. Spiritûs illustratione docuisti ; da nobis in eodem spiritu recta sapere , & de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum Amen.

Oremus,

OMnipotens sempiterne Deus , qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contulisti , ut , quidquid in tuo nomine dignè perfectéque ab eis agitur , à te fieri credatur : quæsumus clementiam tuam , ut , quod modò visitaturi sumus , visites : & quidquid benedicturi , benedicas : & ad ea , quæ acturi sumus , dexteram tuæ potentiæ extendas. Rogamus insuper te , Domine Deus omnipotens altissime , qui fecisti cœlum & terram , mare & omnia , quæ in eis sunt : ex te namque ortum habet Alpha & Omega , principium

cipium & finis, ut extendas manum tuam validam, & brachium tuum excelſum & ſanctum, & viſitatione ſanctâ viſites figmentum tuum, & demittas illi Angelum pacificum, fortem animæ & corporis cuſtodem, qui increpet & depellat ab eo omne peſtilens, & immundum dæmonium. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere; ut cuncta noſtra operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Surſum aſpiciendo dicat:

Non nobis Domine, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam. *Pſal.* 113.

F.C.T.A.P.M.C. I.Iac. Sartor fecit Coloniae

PARS PRIMA.

DE BENEDICTIONIBUS diversis & selectis.

NB. *Benedictiones duplicis esse generis: aliæ sunt constitutivæ, per quas sive res sive personæ divino cultui destinantur. Aliæ sunt invocativæ, per quas à Deo vel rebus vel personis imploratur auxilium divinum. Ad quod igitur genus spectare videantur benedictiones, de quibus in seqq. discernenti facilè constabit.*

§. I.

ORDO Ad faciendam aquam Benedictam.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Cœlum & terram.

Deinde absolutè incipit.

EXorcizo te creatura salis per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † Sanctum: per Deum, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: & sis omnibus sumentibus te sanitas animæ & corporis: & effugiat atque discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, & nequitia vel versutia Diabolicæ fraudis, omnisque Spiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos & Mortuos & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

IMmensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam Salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene- † dicere & Sancti † ficare tuâ pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis: & quidquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditiâ, omníque impugnatione spiritalis nequitiæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus Aquæ: & dicitur absolutè:

EXorcizo te creatura Aquæ in nomine Dei † Patris omnipotentis, & in nomine Jesu † Christi Filii ejus Domini nostri, & in virtute Spiritûs † Sancti: ut fias Aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum Angelis suis apostaticis, per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui ad salutem humani generis, maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, & Elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ bene † dictionis infunde: ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos Dæmones, morbósque pellendos divinæ gratiæ sumat effectum: ut, quidquid in domibus vel in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditiâ, liberetur à noxa; non illic resideat Spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ

insidiæ latentis inimici : & si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat; ut salubritas per invocationem sancti nominis tui expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Hic ter mittat Sal in Aquam per modum Crucis dicendo semel.

Commixtio Salis & Aquæ pariter fiat in Nomine Pa✝tris, & Fi✝lii & Spiritûs San✝cti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus invictæ virtutis auctor & insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis : qui inimici rugientis sævitiam superas : qui hostiles nequitias potenter expugnas : te Domine trementes & supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam Salis & Aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices : ut ubicunque fuerit aspersa, per invocationem sancti Nominis tui, omnis infestatio immundi Spiritûs abigatur, terrórque venenosi serpentis procul pellatur, & præsentia S. Spiritûs nobis misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per D. N. Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen,

BENEDICTIO AQUÆ SOLEMNIS

Miræ virtutis contra Diabolum & omnes tam naturales quàm innaturales infirmitates atque præstigia à S. Chrysostomo homil. De bapt. Christi commendata, ut inter alios meminit Gretserus S. J. l. 2. Benedict. cap. 10. solet quibusdam in locis fieri in vigilia Epiphaniæ vel trium Regum; sed conveniens foret, ut fieret etiam in Dominicis quatuor temporum, quibus plebs curat salem benedici, vel alio quocunque die.

Antiph. Vox Domini super Aquas; Deus majestatis intonuit: Dominus super Aquas multas.

Psalm 28

Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis Cedros: & confringet Dominus Cedros Libani.

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum: & commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condensa: & in templo ejus omnes dicent gloriam.

Domi-

Dominus diluvium inhabitare facit: & ſedebit Dominus Rex in æternum.

Dominus virtutem populo ſuo dabit: Dominus benedicet populo ſuo in Pace. Gloria Patri, &c.

Iterum reſumitur Antiph. Vox Domini.

Deinde Sacerdos ſic dicit: Exaudi nos Domine: quoniam benigna eſt miſericordia tua: & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos Domine.

℣. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt Aquæ.

℟. Uſque ad animam meam.

℣. Gloria Patri, &c.

℟. Sicut erat in principio, &c.

℣. Exaudi nos Domine.

℟. Quoniam benigna, &c. *ut ſupra.*

Litania de Omnibus Sanctis, &c. *in quibus poſt verba*: ut nobis indulgeas: *addatur.*

Ut hanc aquam benedi † cere digneris.

Ut hanc aquam benedi † cere & Sancti † ficare. dign.

Ut hanc aquam bene † dicere, & Sancti † ficare & conſe † crare digneris. *Pergatur uſque ad finem, iiſque finitis dicatur*: Pater noſter, &c.

℣. Salvos nos fac, Domine Deus noſter.

℟. Et congrega nos de nationibus.

℣. Ut confiteamur Nomini ſancto tuo.

℟. Et gloriemur in laude tua.

℣. Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſæculo,

℟. Et uſque in ſæculum, fiat fiat.

Sufflat in aquam tribus vicibus ſic dicendo:

Exſufflo te omnis legio Satanæ in Nomine Pa†tris, & Fi † lii, & Spi † ritûs ſancti.

EXORCISMUS.

EXorcizo te creatura aquæ in nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritûs † sancti: ne communis sis ulli spiritui immundo; sed dabis honorem Deo viventi atque regnanti, Patri, & Filio, & Spiritui S. Et ubicunque aspersa fueris, omnis spiritus immundus ab eo loco recedat. Adjuro te itaque creatura aquæ in nomine Jesu Christi Nazareni, Filii Dei vivi, regis & judicis nostri; ut sis purgatio & sanctificatio hominum, quos Deus ad suam S. gloriam vocare dignatus est. Te ergo invoco, Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, ut hanc aquam exorcizare & bene†dicere pro tua pietate digneris; ut omnis immundus Spiritus in ea locum ultra non habeat: sed ubicunque aspersa fuerit, Angelorum tuorum illuc descendat exercitus. Per Dominum.

Lectio libri Numeri.

IN diebus illis convenerunt filii Israël ad Moysen & Aaron, & versi in seditionem dixerunt: Date nobis aquam, ut bibamus. Ingressus Moyses & Aaron dimissâ multitudine, ante tabernaculum fœderis corruerunt proni in terram, clamaverúntque ad Dominum & dixerunt: Domine Deus exaudi clamorem populi hujus, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum, & appareat gloria Domini super eos. *Resp.* Deo gratias.

Graduale.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israël. *Vers.* Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Alleluja, alleluja. *Vers.* Vox Domini super aquas multas. Alleluja. *Vers.* Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Sequen-

Sequentia S. Evangelii secundùm Ioannem.

IN illo tempore: In novissimo die magno festivitatis stabat Jesus & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Ex illa ergo turba, cùm audissent hos sermones ejus, dicebant: Hic est verè Propheta. Alii autem dicebant: Hic est Christus. ℟. Laus tibi Christe.

Exorcismus Aquæ.

EXorcizo te creatura aquæ per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum † totius creaturæ; ut te efficacem exhibeas contra omnem morbum atq; insidias inimici, diabolicásq; potestates: ut, ubicunque aspersa fueris, sit propitiô Deô domus ista defensa, sicut defensæ fuerunt in Ægypto domus Hebræorum per Aspersionem sanguinis Agni. Exorcizo te in nomine illius, qui filios Israël per medium maris traduxit. Exorcizo te in nomine illius, qui verbô suô fontem manare præcepit. Exorcizo te in nomine illius, qui siccis pedibus super te ambulavit. Exorcizo te demum in nomine illius, quem S. Joannes in te baptizavit: ut omnis spiritus erroris, & omnes phantasiæ Dæmonum fugiant de illo loco, in quo aspersa fueris. Per Christum D. N. qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Oremus.

BEne†dic Domine hanc aquam bene†dictione cœlesti, & assistat super eam virtus Spiritûs S. Ut, ubicunque aspersa fuerit, longè recedat virtus inimicorum, umbra phantasmatum, incursio turbinum, per-

percuſſio fulminum, læſio tonitruorum, calamitas tempeſtatum, omniſque ſpiritus procellarum. Per temetipſum Deum omnipotentem, qui vivis & regnas.

Exorciſmus Salis.

EXorcizo te creatura ſalis per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, per Deum, qui te per Eliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ. Per Deum, qui per Apoſtolum Paulum dicere dignatus eſt: Sermo veſter ſit ſale conditus. Ideóque efficere ſal ad expellendum inimicum, & evacuandam omnem vim & putredinem ejus: in nomine D. N. Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. *Reſp.* Amen.

Oremus.

VIrtutis tuæ invictam fortitudinem deprecor Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus ſuper hunc ſalem: cui non minimam gratiam conferre dignatus es, ut ex illo poſſint univerſa condiri, quæ hominibus ad eſcam procreâſti. Rogamus igitur te Domine per Filium tuum Dominum N. Jeſum Chriſtum, ut ſalem iſtum bene † dicere, ſancti † ficare, & conſe † crare digneris: ut ex vultu Divinæ majeſtatis tuæ virtutem tuam contra omnes immundos Spiritus accipiat. Expellat de tabernaculis famulorum famularúmque tuarum, quidquid peſtiferum eſſe poterit. Exhibeat plenum ſalutis effectum omnibus, qui ex eo devotè ſumpſerint: & deterreat præſtigia, phantaſiáſque compeſcat, per ſignum S. Cru†cis. [*Hic manu imprimat crucem in ſalem*] Filii tui D. N. Jeſu Chriſti, qui tecum.

Ore-

Oremus.

INtuere Domine Jesu Christe hanc creaturam Salis, quam in usus humani generis tribuisti: & per signum S. Cru † cis tuæ tribue ei virtutem; ut ubicunque aspersa fuerit aqua hoc sale commixta, ibi sit efficax ad evacuandam omnem inimici adversariam potestatem. Consumat & arefaciat noxia: nihilque remaneat immundum aut pestiferum: sed ad invocationem nominis tui sint omnia nobis munda & bene † dicta. Qui vivis & regnas.

Benedictio Salis.

BEnedico te creatura salis in nomine Pa†tris & Fi†lii, & Spiritûs † S. qui te ad tutelam humano generi procreavit, & populo suo per servos suos consecrari præcepit. Proinde rogamus te Domine Deus noster, ut hæc creatura salis in nomine S. Trinitatis efficiatur salus mentium & corporum: sítque perfecta medicina in visceribus fidelium tuorum. Per Christum.

Hic ter mittat salem in aquam dicens.

COmmixtio salis & aquæ pariter fiat in nomine Pa†tris, & Fi†lii & Spiritûs † S. Et in virtute D. N. Jesu Christi, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Exorcismus super Salem & Aquam.

EXorcizo te creatura salis & aquæ in nomine Pa† tris, & Fi†lii, & Spiritûs † S. Exorcizo te per Deum † vivum, per Deum † crucifixum; per Deum † Spiritum S. Exorcizo te per eum, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit dicens: Hæc dicit Dominus, sanabitur aqua ista, & non erit in ea mors neque sterilitas: Adjuro te per nomen illius, qui di-

vinâ voce oris sui Apostolis suis locutus est, dicens: Vos estis sal terræ, habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. Ut omnes, qui ex te sumpserint, sint sanctificati in animabus & corporibus suis. Et ubicunque aspersa fueris, præstes remissionem venialium peccatorum, & expellas insidias & tentationes dæmonum. Te autem conditor & restaurator omnium Elementorum deprecor, ut nominis tui invocatâ majestate gratiam supernaturalem hæc aqua accipiat, & per manus servorum tuorum aspersa valeat ad expellendas diabolicas artes. Utque omnis immundus spiritus aspersione hujus aquæ repulsus discedat: & omne phantasma, immunditia & putredo inimicorum longè refugiat, per virtutem & gloriam D. N. Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto.

Alius Exorcismus super utrumque.

ITerum exorcizo te creatura aquæ, sale conspersa, per Deum totius creaturæ, qui te in principio separavit ab arida, & in quatuor flumina dividere dignatus est. Ut, ubicunque aspersa fueris, effugetur inimicus & omnis putredo ejus: ipsaque domus à Deo sit defensa per virtutem D. N. Jesu Christi. Te igitur, creatura aquæ, adjuro per Deum vivum, qui te de fonte paradisi manare, & in quatuor fluminibus exire jussit. (*Hic effundat aquam in quatuor partes.*) Et totam terram rigare præcepit. Adjuro te per eum, qui te in Cana Galilææ suâ potentiâ convertit in vinum, quíque super te suis sanctis pedibus ambulavit. Adjuro te per eum, qui in te Naaman Syrum per manum Elisæi Prophetæ à sua lepra mundavit: quíque cæcum natum in te à sua cæcitate liberavit.

Hic tangat aquam manu faciens tres Cruces.

AQua † sancta. Aqua † benedicta. Aqua † lavans sordes & mundans peccata. (*Hic extrahat manum.*) Adjuro te per Deum omnipotentem, ut te efficacem exhibeas, nec aliquam phantasiam in te retineas: sed efficiaris potens ad effugandum inimicum, & omnes ictus fulguris. Et ubicunque aspersa fueris, sive in domo, sive in cubiculis, sive in navibus, sive in puteis, sive in agris, sive in campis, sive in vineis, sive in arboribus, sive super pecora, sive super homines, ibi fias defensio & remedium salutare. Per nomen D. N. Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus.

PEr omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen. Dominus vobiscum &c. Sursum corda &c. Gratias agamus Domino Deo nostro &c. Verè dignum & justum est æquum & salutare: nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cujus virtuti subjecta sunt universa, cujúsque verbô creata sunt omnia. Tu Domine, qui per Angelum tuum fontem Agar ostendisti, & ex eo Ismaëlem sitientem potâsti. Tu Domine qui pueri tui Abraham in Mesopotamia preces exaudîsti, & omnia desideria cordis ejus implevisti. Tu Domine, qui famulo tuo Moysi in deserto petram percutere, & ex ea aquam producere, populúmque satiare jussisti.

Sequens versus ter dicatur, & Signo Crucis ter in aquam misso, quinque Cruces in ea fiant.

TU Domine, qui aquam amaram immissô lignô dulcorâsti: & lignô sacræ crucis tuæ omnia sanctificâsti, bene † dicere & sancti † ficare digneris hanc creaturam

aturam aquæ in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs† ſancti. [*Hoc ter dicatur.*]

Ut, ubicunque in nomine tuo fuerit aſperſa, omnes jaculationes lævas inimici expellat. Rogamus etiam ac petimus, ut, ſicut ad domum Raguëlis S. Angelum tuum Raphaëlem mittere dignatus es, ut Aſmodæum dæmonem alligaret, ſimile quoque beneficium domibus noſtris donare digneris: ut, ubicunque hæc unda reſperſa fuerit, malignus ſpiritus ibidem nec conſiſtendi nec commorandi habeat poteſtatem: per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt poteſtates. Cœli cœlorúmque virtutes ac beata Seraphim, ſociâ exultatione concelebrant. Cum quibus & noſtras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes:

Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cœli & terra gloriâ tuâ. Hoſanna in excelſis. Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hoſanna in excelſis.

TE igitur Clementiſſime Pater, altiſſima ſalus & protector perpetuus, ſupplices rogamus ac petimus; ut, ubicunque hæc aqua reſperſa fuerit, ſit te donante cauſa ſalutis & bene†dictionis. Habeat quoque domus illa, in qua aſperſa fuerit, perpetuam gratiam, fidem rectam, ſpem firmam, charitatem perfectam, & gaudium verum. Per Chriſtum.

Adjuratio Aquæ.

ITerum te alloquor aqua, quæ habes lucis ſimilitudinem. Tu ſub cœlo, tu ſuper cœlum. Tu ſub terra, tu ſuper terram. Super te invoco nomen ſanctum atque admirabile Dei omnipotentis, qui te ſuſpen-

pendit ſuper cœlos, congregavit in mari, miſcuit in terra. Qui te arcanis & velocibus ventis pluere præcepit; ad uſum hominum lavacrum dedit, potúmque ſitientibus miniſtravit. Super te in principio ſpiritus Domini ferebatur, & etiam adhuc fertur. Adjuro ergo te creatura per ſeptiformem ſpiritum Dei: adjuro te per novem Ordines Angelorum: adjuro te per vocem tonitrui tremendi: adjuro te per myſterium ligni, quô aqua tacta dulcis facta eſt: adjuro te per eum, qui te & omnia elementa creavit, ut expellas omnem umbram ſpirituum immundorum, omnes machinationes Diabolorum, ſive ex invocatione magicæ artis, ſive ſponte ſuâ creaturis Dei nocentium. Quia imperat tibi Dominus Jeſus Chriſtus, filius Dei vivi, quod mox, ubi aſperſa fueris in nomine Dei Sabaoth, ſive in hominibus, ſive in pecoribus, ſive in quacunque creatura, ſive in potum data fueris homini aut pecori languenti, aut maligni ſpiritûs infeſtatione percuſſo, mox expellas omne malignum, & conferas priſtinam ſanitatem. Sísque ſancta, & ſalutifera & ignis ardens adverſùs omnes inſidias tam inviſibilium quàm viſibilium inimicorum. Fulgura quoque & grandines per aſperſionem tuam diſſipentur, & omnia terribilia ſpectra profugentur. Per virtutem D. N. Jeſu Chriſti, cujus poteſtas neque dici, neque ſcribi, neque cogitari poteſt, Qui vivit & regnat.

VEre ſanctus, verè benedictus, verè adorandus es Domine Deus noſter. Ab occultis noſtris munda nos, & ab alienis parce ſervis tuis; ut cum fiducia valeamus dicere orationem illam regalem, quam Dominus & Salvator noſter per Evangelium ſuum orare nos docuit dicens: Cum oratis, dicite: Pater noſter &c.

Libera

LIbera nos quæsumus domine ab omnibus malis, præteritis, præsentibus & futuris. Libera nos à gladio, fame, peste, tentatione, & ab omnibus periculis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Oremus.

DOmine sancte Pater omnipotens, Pater D. N. Jesu Christi exorcizantem, bene†dicentem, & consecran†tem me creaturas istas salis & aquæ exaudire digneris; ut in virtute D. N. Jesu Christi sint salus, sanitas & purificatio omnibus hominibus, quibus aspersæ & à quibus degustatæ fuerint. Habeant potestatem effugandi immundos spiritus, dissipandi fulgura, avertendi grandines, & exterminandi omnes adversitates humanæ naturæ. Per Dominum nostrum.
℣. Dominus vobiscum &c. Benedicamus Domino. &c.
Benedicat vos, ô creaturæ salis & aquæ, omnipotens Deus, Pa†ter, & Fi†lius, & Spiritus † Sanctus.

Et ego Sacerdos Dei bene†dico te, O creatura aquæ in virtute bene†dictionis illius, quam tibi Christus dedit, dum in te à Joanne baptizatus fuit. Bene†dico te in virtute privilegii illius, quô gloriosè decorata fuisti, quando à Christo in vinum conversa fuisti. Bene†dico te in potentia virtutis illius, quam miraculosè suscepisti, dum in natatoria Siloë virtutem sanandi accepisti. Bene†dico te in sacramento mysterii illius, quod in te repræsentatum fuit, quando cum sacro sanguine Christi ex latere ejus profluxisti: Et demum puri†fico, bene†dico, atque sancti†fico te, per pretiosam mortem D. N. Jesu Christi: per puritatem sacratissimæ V. M. Matris ejus: & per omnimodam bene†dictionem, quæ data est in cœlo & in terra. Infundo quoque tibi ex authoritate mihi collata, omnem spiritua-

tualem virtutem, quâ omni contagio resistere, & quemcunque oppressum sanare possis in nomine Pa✝tris &c. ℣. Dominus vobiscum.

Sequentia S. Evangelii secundùm Ioannem.

IN illo tempore: vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est, de quo dixi: post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Et ego nesciebam eum: sed ut manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Joannes dicens: Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum; hic est qui baptizat in Spiritu sancto. ℟. Deo gratias.

Demum fit aspersio sicut in diebus Dominicis fieri solet cum Vers. Asperges, & Oratione.

Hæc aqua asservetur, & in quacunque necessitate sive spirituali, sive corporali, tam hominum quàm pecorum, tam domorum quàm agrorum adhibeatur: quia est miræ virtutis & efficaciæ, ut docet experientia.

BENEDICTIONES

Ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus, faciendæ.

NB. *Prælati Regulares habent facultatem benedicendi sacra ornamenta & indumenta, non tamen sacra vasa, in quibus intervenit Unctio sacri Chrismatis..... jam verò id non possunt Regulares pro Extraneis Ecclesiis, ob decreta in*

contrarium, quæ sic sonant ex Cajetano Merati in novis observat. super Gavantum in indice decretorum.

Abbates & alii Prælati Regulares non possunt benedicere paramenta Ecclesiarum, non sibi subditarum. S. R. C. 24 Augusti 1609.

Item Prælati Episcopis inferiores Ecclesiasticam suppellectilem pro servitio duntaxat suarum Ecclesiarum; vel Monasteriorum benedicere valent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 18.

Apud La Croix *tamen lib* 6. *p.* 2. *de sacrificio Missæ n.* 353. *his non obstantibus allegatur & sustinetur, superiores ordinum Mendicantium adhuc posse etiam pro Extraneis, ubi est usus; qualis & est apud nos, & penes Rectores Societatis: imò* Spörer n. 411. *facultatem hanc, quam superiores sui Ordinis exercent, extendit ad præsidentes & Vicarios, dum absens est Superior.*

BENEDICTIO
Sacerdotalium Indumentorum in Genere.

℣. Adjutorium nostrum, &c.

℟. Qui fecit, &c. Dominus vobiscum. &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum Pontificalia & Sacerdotalia seu Levitica vestimenta, ad explendum in conspectu tuo Ministerium eorum, ad honorem & decorem nominis tui fieri decrevisti: adesto propitius invocationibus nostris: & hæc indumenta Sacerdotalia, desuper irrigante gratiâ tuâ, ingenti benedictione per nostræ humilitatis servitium purifi † care, bene † dicere,

cere, & conse † crare digneris: ut divinis cultibus & sacris Mysteriis apta & benedicta existant: his quoque sacris vestibus Pontifices & Sacerdotes, seu Levitæ tui induti, ab omnibus impulsionibus seu tentationibus malignorum Spirituum muniti & defensi esse mereantur: tuisque Mysteriis aptè & condignè servire & inhærere, atque in his tibi placitè & devotè perseverare tribue. Per Christum Dominum. ℟. Amen.

Oremus.

DEUS, invictæ virtutis triumphator, & omnium rerum creator ac sanctificator, intende propitius preces nostras: & hæc indumenta Leviticæ, Sacerdotalis & Pontificalis gloriæ, Ministris tuis fruenda, tuo ore proprio bene † dicere, Sancti † ficare, & conse † crare digneris: omnésque eis utentes, tuis mysteriis aptos & tibi in eis devotè ac laudabiliter servientes, gratos efficere digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus & Levitis, in usum tabernaculi fœderis necessaria, Moysen famulum tuum agere jussisti, eúmq; spiritu sapientiæ ad id peragendum replevisti: hæc vestimenta in usum & cultum Mysterii tui bene † dicere, sancti † ficare, & conse † crare digneris: atque ministros altaris tui, qui ea induerint, septiformis Spiritûs gratiâ dignanter repleri, atq; castitatis stolâ, beatâ facias cum bonorum fructu operum Ministerii congruentis immor-

mortalitate veſtiri. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde aſpergit ipſa indumenta aquâ benedictâ.

BENEDICTIO
Mapparum & Tobalearum, ſive linteaminum Altaris.

℣. Adjutorium. &c. ℟. Qui fecit. &c.

℣. Dominus. &c.

Oremus.

EXaudi Domine preces noſtras, & hæc linteamina ſacri altaris uſui præparata bene † dicere & Sancti † ficare digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui Moyſen famulum tuum ornamenta & linteamina facere, per quadraginta dies docuiſti; quæ etiam Maria texuit, & fecit in uſum Miniſterii tabernaculi fœderis: bene† dicere, Sancti † ficare, & conſe † crare digneris hæc linteamina ad tegendum, involvendúmque altare glorioſiſſimi filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Deinde aſpergit ea aquâ benedictâ.

BENEDICTIO
Corporalium & Pallarum.

℣. Adjutorium. &c. ℟. Qui fecit. ℣. Dominus. &c.

Oremus.

CLementiſſime Domine, cujus inenarrabilis eſt virtus, cujus myſteria arcanis mirabilibus celebrantur:

brantur: tribue quæsumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis bene † dictione sanctificetur ad consecrandum super illud corpus & sanguinem Dei & Domini nostri JEsu Christi filii tui: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, bene † dicere, sancti † ficare, & conse † crare digneris linteamen istud ad tegendum involvendúmque corpus & sanguinem Domini nostri JEsu Christi filii tui: qui tecum vivit & regnat. &c. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde: ut per nostram bene † dictionem hoc linteamen sanctificetur, & corporis ac sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium, Spiritûs sancti gratiâ efficiatur. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Et aspergat aquâ benedictâ.

BENEDICTIO

Tabernaculi seu Vasculi id est Ciborii, Monstrantiæ & Lunulæ pro Sacrosancta Eucharistia conservanda.

℣. Adjutorium. &c. ℟. Qui fecit. &c. ℣. Dominus, &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices deprecamur, ut vasculum hoc, pro

corpore filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti in eo condendo fabricatum, bene † dictionis tuæ gratiâ dicare digneris. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum : qui tecum vivit & regnat. &c. ℟. Amen.

Et aſpergat illud aquâ benedictâ.

SPECIALIS BENEDICTIO
Cujuslibet Indumenti.

℣. Adjutorium, &c.

Oremus.

DEus omnipotens, bonarum virtutum dator, & omnium Benedictionum largus infuſor, ſupplices te rogamus ; ut manibus noſtris opem tuæ benedictionis infundas, & hanc Caſulam [*vel* Albam, *vel* Cingulum, *vel* Stolam, *vel* Manipulum ; *vel* Dalmaticam, *vel* pluviale aut amictum &c.] divino cultui præparatam (*vel* præparatum, *vel* præparata) virtute ſancti Spiritûs bene † dicere, ſancti † ficare, & conſe † crare digneris, & omnibus, eis (*vel* eô, *vel* eâ) utentibus, gratiam ſanctificationis ſacri Myſterii tui benignus concede : ut in conſpectu tuo ſancti, & immaculati, atque irreprehenſibiles appareant, & auxilium miſericordiæ tuæ acquirant. Per D. N. J. C. Filium tuum : qui tecum vivit. &c.

Deinde aſpergit ea aquâ benedictâ.

BENEDICTIO CAPSARUM
Pro Reliquiis, & aliis Sanctuariis includendis.

Oremus, dilectiſſimi nobis, Deum patrem omnipotentem : ut, qui omnia per unigenitum filium ſuum in virtute Spiritûs ſancti valdè bona creavit, ipſe nobis

indignis,

indignis, ad conſecrationem Capſarum Reliquiis Sanctorum ſuorum recondendis paratarum, rorem gratiæ ſuæ clementer infundere dignetur. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus.

Deinde manibus junctis ante pectus dicitur præfatio ſequens.

℣. Per omnia ſæcula ſæculorum. ℞. Amen.
℣. Dominus vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo.
℣. Surſum corda. ℞. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℞. Dignum & juſtum eſt.

VEre dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, inæſtimabilis, ineffabilis, Deus miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. Qui Moyſi famulo tuo præcepiſti, ut juxta Exemplar, quod ei in Monte demonſtrâſti, arcam de lignis imputribilibus conſtrueret, & eam aurô mundiſſimô circumdaret, in qua urnâ aureâ, Manna cœleſti plenâ, cum tabulis teſtamenti digitô Majeſtatis tuæ conſcriptis, in teſtimonium futuris generationibus ſervari deberent. Quíque noſtris ſeculis eadem ſacratiùs intelligenda manifeſtâſti, dum corpus unici filii tui, ope Spiritûs S. de incorrupta Virgine conceptum, & animâ rationali vivificatum omni plenitudine divinitatis replêſti. Te ſuppliciter imploramus omnipotens Deus, Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur; ut hæc vaſcula Sanctorum tuorum pignoribus præparata, eisdem Sanctis tuis inter-

tercedentibus, cœlesti bene ✝ dictione perfundere digneris: quatenus qui horum patrocinia requirunt, ipsis intercedentibus, cuncta sibi adversantia, te adjuvante, superare & omnia commodè profutura, abundantiâ largitatis tuæ mereantur invenire. Et sicut illi, te Domine inspirante, spiritualium nequitiarum versutias cavere, & humanitùs exquisita tormenta, non solùm contemnere, sed etiam penitùs evincere, Christo Domino confortante, potuerunt; ita ipsorum merita venerantibus, & Reliquias humiliter amplectentibus contra Diabolum & Angelos ejus, contra fulmina, fulgura, & tempestates, contra grandines & varias pestes, contra corruptum aërem & mortes hominum & animalium, contra fures & latrones, sive gentium incursiones, contra malas bestias & serpentium ac reptantium diversissimas formas, contra malorum hominum adinventiones pessimas, eorundem Sanctorum tuorum precibus complacatus, dexteram invictæ potentiæ tuæ, ad depulsionem nocivorum, & largitatem proficuorum, semper & ubique propitius extende. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum. &c. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui, ut murmur insani populi compesceres, & Sacerdotium Aaron tibi placitum comprobares, virgam ejus aridam germinare, & flores fructiferos producere fecisti, eandémque in arca testamenti pro signo virtutis tuæ poni jussisti, sed & nobis eodem præsagio Christum in ara Crucis arefactum, tertiâ die resurrectione reflorescere, & in Ecclesia novissimo tempore resuscitanda, per mortem suam die ac nocte fructificare demonstrâsti:

strâsti : te quæsumus, indulgentissime generis humani provisor, ut hæc vascula Sanctorum tuorum receptaculo præparata, ità gratuitâ gratiâ sanctifices, ut ubicunque in tuo Nomine prolata fuerint, intercedentibus habitatorum ipsorum meritis, cuncta adversa repellas, & nullifices, & omnia utilia multiplices atque custodias : quatenus fideles tui, magnitudine, sive universitate beneficiorum tuorum, in parte modica Reliquiarum, integra Sanctorum Corpora se percepisse gratulentur ; & per temporalia loca ipsorum precibus impensa, ad æterna cum eis gaudia possidenda fiducialiùs animentur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. &c. ℟. Amen.

Brevis Instructio.

De *Cera* Summo Pontifici usitata, alias vocari solita: *Agnus Dei*, eòquod impressione *Agnus Dei* signata sit. Conficitur ex *S. Chrismate*, *Balsamo*, *Cera alba & pura.* Benedicitur ab eodem Pontificatûs sui annô primô, & quovis postea septenniô. Benedictio ad solos pertinet Pontifices ; ideòque hîc non erit accommodata, subnecto tamen virtutes ejus mirabiles, comprehensas in quibusdam versibus, quales cum tribus *Agnus Dei* legitur misisse Urbanus V. ad Græcorum Imperatorem sunt, autem Seqq.

Balsamum & munda Cera cum Chrismatis unda
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum :
Fonte velut natum, per Mystica sanctificatum.
Fulgura desursum depellit, omne malignum :
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit,
prægnans servatur, simul & partus liberatur.
Dona defert dignis, virtutem destruit ignis.
Portatus mundè, de fluctibus eripit Undæ.

Aliter de virtutibus Agnus Dei.

Tonitrua magna terret,
Et peccata nostra delet;
Ab incendio præservat,
A submersione servat.
A morte cita liberat,
Et Cacodæmones fugat.
Inimicos nostros domat,
Prægnantem cum partu salvat.
Dona dignis multa confert.
Utque malis mala defert.
Portio, quamvis parva sit,
Ut magna tamen proficit.

Scalæ Sanctæ

Olim à Sixto V. Constitutæ, ex multiplici usu nunc multùm tritæ, habent ex marmore albo viginti octo gradus, cum quatuor ex communi lapide adjunctis Scalis, quibus rursus descenditur. Christum Salvatorem nostrum flagellis Cæsum in Domo Pilati illas descendisse memorant. Loca, in quibus sanguis stillavit, craticulis, quas ascendentes osculô reverentur, tecta conspiciuntur. Ascendenti nec gladius, nec ferrum permittitur.

BENEDICTIO SCALÆ SANCTÆ,

Pro lucro Indulgentiarum præsentibus Monialibus in duos choros divisis, & Scalâ in medio inter illas positâ, Sacerdos superpelliceô & Stolâ indutus ad caput Scalæ in medio stans incipit hanc

Antiph. Scalam vidit Jacob, cujus cacumen Cœlos tangebat, Angelos quoque ascendentes & descendentes, qui eam lumine replebant. *Post eam recitatur à Monialibus alternatim Choraliter* Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. &c. Gloria Patri. &c.

Antiph. Scalam vidit. &c. *repetitur. Deinde dicitur*: Pater noster: Ave Maria.

℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dominus vobiscum &c.

Oremus.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, Deus pietatis, Deus indulgentiæ! Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis! O adorande plaſmator, O piiſſime redemptor! Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, qui Jacob fideli ſervo tuo, te in unitate quærenti oſtendiſti Scalam ſtantem ſuper terram, cujus cacumen cœlum tangebat, ſanctos quoque Angelos tuos aſcendentes & deſcendentes per eam, & teipſum Dominum innixum Scalæ; ac promiſiſti ei largiſſimam benedictionem, paternam protectionem, & fideliſſimam cuſtodiam: ſupplices te rogamus, ut hanc Scalam ligneam, quam in Nomine tuo erigimus ad te, bene † dicere digneris, & famulas † tuas, eáſque velut Angelos ad te facias aſcendere & deſcendere, ut paterna tua cœleſtis benedi † ctio, protectio, & cuſtodia ſit ſuper Scalam hanc & famulas † tuas, ac ſuper hoc clauſtrum †: & terribilis ſit locus iſte Dæmonibus, & non ſit hìc aliud niſi Domus Dei, & porta cœli. Per Chriſtum Dominnm noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, piiſſime Redemptor, Judex & Salvator vivorum & mortuorum, qui in ſanctiſſima paſſione tua ab impio judice iniquè judicatus, illuſus, purpurâ irriſoriâ indutus, manibus ligatus, Agnus innocentiſſimus ad mortem condemnatus, ſuper Scalam populo impio oſtenſus fuiſti, dum diceret: ***Ecce homo***: Effunde ſuper hanc ſcalam, & ſuper has famulas tuas tuam cœleſtem bene † dictionem, ut, quæ ſacratiſſimæ paſſioni, & innocentiſſimæ humanitati devotè gratias acturæ, hanc

Scalam aſcenderint , te Deum pientiſſimum ſalvatorem feliciter invenire, & te ſanctiſſimam ultimatam Hæreditatem ſuam in æternum poſſidere & frui mereantur. Per te Domine Jeſu Chriſte Rex gloriæ, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas in unitate perfecta Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℞. Amen.

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte, qui famulis & famulabus tuis voluiſti Matrem tuam Sanctiſſimam eſſe in via vitæ æternæ adjutricem , ductricem , conſolatricem , mediatricem , & ſalutis Scalam : dignare per ipſius copioſiſſima merita , & interceſſionem, hanc Scalam & has famulas tuas bene † dicere , ut, dum hanc Scalam piè aſcenderint , apud eandem ſanctiſſimam Matrem tuam Virginem , ſecurum refugium & patrocinium invenire & tuæ indulgentiſſimæ Miſericordiæ participes fieri mereantur ; per te Jeſu Chriſte Rex Gloriæ, qui vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. ℞. Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus , qui S. *Roberto Lotharingiæ* Duci per cæleſtem quendam ſenem in loco amæno loto hæc dixiſti : Scalam in cœlum tibi parabis , ubi ſocius Angelorum eris : quíque S. *Romualdo* Camaldulenſium fundatori, & *S. Joanni Bernardo Senenſi* oculos aperuiſti , ut videret ſuos ſpiritales filios per Scalam in cœlum porrectam aſcendentes ; & *S. Aurelio* Martyri ; ſancto quoque *Olao* Regi Scalam in cœlum uſque protenſam per quietem oſtendiſti : dignare clementer hanc Scalam bene†dicere , & has famulas tuas cœleſti luce † irradiare ,

ut,

ut, dum per hanc Scalam corporalibus genibus aſcendent, mentis affectibus ad te devotè conſurgant, te ſedulò quærant; & indeſinenter ex hac miſeriæ valle ad te tendant, & corda jugiter ſublevent. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui eſt via, veritas & vita, Scala & oſtium Eccleſiæ, ac cœleſtis Gloriæ, qui dixit: nemo venit ad Patrem, niſi per me. ℟. Amen.

MODUS

Conficiendi Maſſam Ceream ſeu S. Ceram, vulgò Heiligthum: *cujus ingredientiæ ſunt ſeqq.*

1. Cera ex Cereo Paſchali.
2. Thus ex granis benedictis in Sabbato Sancto.
3. Cineres benedicti ex die Cinerum.
4. Cineres ex ramis Palmarum.
5. Cineres ex herbis ex Feſto Aſſumptionis B. M. Virginis.
6. Oleum olivarum.
7. Oleum ſeminis raparum.
8. Sacrum antiquum oleum Catechumenorum, infirmorum & Sacrum Chriſma.
9. Carbones ex igne Paſchali.
10. Sal benedictum.
11. Ruta, Salvia, Hyſſopus.
12. Balſamum.
13. Agnus Dei.
14. Aqua luſtralis, aut ex fonte baptiſmali.
15. Vinum benedictum ex Feſto S. Joannis.
16. Oſſa Sanctorum, ſive Reliquiæ Sanctorum authenticæ. Sed has conterere videtur illicitum, cùm ſcriptum ſit. *Cuſtodit Dominus oſſa eorum, unum ex his non conteretur* Pſ. 33.

NB. *Hæc omnia pulverizentur, miſceantur invicem, & ad ignem in vaſe ſeu urna fictili lique-*

liquefiant : inde fit una Massa, benedicenda benedictione infrapositâ : priùs tamen benedicatur & Ignis & vas, uti hìc adjicitur.

Benedictio Ignis pro Massa condensanda :

℣. Adjutorium. &c. ℟. Qui fecit. &c.
℣. Benedicite ignis & æstus Domino.
℟. Laudate & superexaltate eum in sæcula.
℣. Dominus vobiscum. &c:

Oremus.

BEnedicat † te creatura ignis Deus creator omnipotens, qui te ex nihilo produxit, & qui famulo suo Moysi in igne flammæ Rubi apparuit, quíque in Columna ignis per noctis tenebras suum populum antecessit in desertum : & qui tres pueros Majestatis suæ cultores in se servavit illæsos ; atque qui judicaturus orbem terrarum te ante judicis faciem præire jubebit : & qui te justitiæ instrumentum in contumaces spiritus delegit, illos, omnésque damnatos justissimè excruciaturus in æternum. Qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicentibus nobis hunc ignem in nomine tuo, & unigeniti Filii tui, ac Domini nostri Jesu Christi, & Spiritûs sancti cooperari digneris ; & adjuva nos contra tela inimici, & illustra gratiâ cœlesti. Qui vivis & regnas cum eodem unigenito tuo, & spiritu sancto Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

EGo Sacerdos Dei per poteſtatem mihi in ordine Sacerdotali collatam bene † dico te, Exorcizo † & conjuro te creatura ignis per eum, qui venturus eſt judicare ſæculum per ignem, qui tremere facit orbem terrarum, & qui omnia poteſt, ut adverſus infernales beſtias, & prædones ſis mihi adjutorium in virtute Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti affligens, excrucians & exurens eos plùs centuplo, quàm gehenna ſulphurea, ut ſentiant pœnas importabiles, quæ per ſingula momenta ſuæ protervæ obſtinationis ſuſcipiant incrementa. Per eundem Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Aſpergatur aquâ benedictâ.

Benedictio Vaſis ſive Urnæ, in qua Maſſa coagulatur, & adunatur.

℣. Adjutorium. &c.

Oremus.

PRotector fidelium Deus & ſubditorum, pectorum piorum inhabitator, qui gentium Doctorem Apoſtolum Paulum à furore Dæmonii liberâſti, tibi gratiæ tuæ præventione vas Electionis conſtituiſti, quod nomen tuum portaret coram gentibus, & Regibus terræ: quæſumus clementiam tuam, per merita hujus ſancti Apoſtoli tui, ut quoque ſerenis oculis tuæ immenſæ pietatis hoc vas reſpicere † purificare † benedicere † & ſanctificare † digneris, ut nihil in eo reſidere, vel illud contingere poſſit diabolicum, & aufugiat ab eo mox omne malignum, ſicut fugit pulvis à facie venti, deſcendátque ſuper omnes eô utentes gratia Spiritûs ſancti, ut ejuſdem Vaſa mereantur fieri electa. Per Dominum noſtrum. &c. ℟. Amen.

BENE-

BENEDICTIO
S. Cerea Massæ, vulgò Heiligthum.

℣. Adjutorium nostrum, &c. ℟. qui fecit. &c.
℣. Benedicat nos Deus noster, benedicat nos Deus.
℟. Et Metuant eum omnes fines terræ.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam.
℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore, cùm recumberet Jesus cum illis, accepit panem & bene † dixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum. ℟. Laus tibi Christe.

Per Evangelica dicta det huic creaturæ Dominus suam gratiam & bene † dictionem. In nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiri † tûs Sancti. ℟. Amen.

Ex Psalmis.

DOmini est salus, & super populum benedictio † tua, sicut unguentum in capite, quod descendit in Barbam, Barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus sicut ros Hermon: qui descendit in Montem Sion, quoniam illic Dominus mandavit bene † dictionem & vitam usque in sæculum, aperis tu manum tuam: & imples omne animal bene † dictione tuâ; hæc Massa accipiat bene † dictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari. Bene † dicat te Dominus ex Sion; qui fecit cœlum & terram.

℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

OMnipotens Deus, esto propitius invocationibus nostris, & huic creaturæ humanis usibus

præpa-

præparatæ virtutem tuæ bene † dictionis infunde, ut myſteriis tuis ſerviens ad abigendos Dæmones, morbóſque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum, ut, quicunque hâc uſus fuerit, careat omni immunditiâ, liberetur à noxa, diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici, & ſi quid eſt, quod aut utentium incolumitati invidet aut quieti, effugiat, ut ſalubritas per invocationem Nominis tui expetita, ab omnibus ſit impugnationibus defenſa: per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

IMmenſam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: ut hanc creaturam, quam in uſum generis hnmani tribuiſti, bene † dicere, & ſancti † ficare tuâ pietate digneris: ut ſit omnibus adhibentibus ſalus mentis & corporis; & ubicunque fuit applicata, tollatur omnis immunditia, & ceſſet omnis impugnatio ſpiritalis nequitiæ: per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus invictæ virtutis Auctor, & inſuperabilis imperii Rex, ac ſemper magnificus triumphator: qui adverſæ Dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis ſævitiam ſuperas: qui hoſtiles nequitias potenter expugnas: te Domine trementes & ſupplices deprecamur ac petimus; ut hanc Maſſæ creaturam dignanter aſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore Sanctifices: ut, ubicunque fuerit applicata, per invocationem Sancti nominis tui, omnis infeſtatio immundi Spiritûs abigatur: terrórque venenoſi ſerpentis procul pellatur: & præſentia Sancti Spiritûs nobis miſe-

misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui in unitate ejusdem Spiritûs Sancti Deus vivit & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Exorcismus.

EXorcizo te in nomine Dei Patris † omnipotentis, & in nomine Jesu † Christi Filii ejus Domini nostri, & in virtute Spiritûs † Sancti: ut fias creatura Exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum Angelis suis Apostaticis; per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi; qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Jesus Naza†renus, Rex Judæorum. Je†sus, Ma†ria, Jo†seph.

Oremus.

DEus invisibilis & inæstimabilis, quíque per cuncta diffusus es, pietatem & misericordiam tuam, tremendum Filii tui nomen supplices deprecamur, ut super hanc Massam creaturarum tuarum bene†dictionem tuam per potentiam invisibilis operationis infundas, ut homines & jumenta, quæ necessitatibus humanis tribuere dignatus es, cùm ex iisdem acceperint aliquid, vel gustaverint, ab omni intoxicatione & ab omni Diaboli, sociorúmque ejus incursu liberentur & custodiantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, per quem disponuntur omnia, quæ ad finem vitæ possidemus, benedic† hanc Massæ creaturam ad effugandum inimicum,

cum, atque ad expellendas omnes magicas incantationes, fascinationes & præstigia diaboli, atque salubrem medicinam per virtutem filii tui Jesu Christi bene†dicti in hanc Massam immitte, ut ad sanitatem ex ea sumentium proficiat per eum, qui judicaturus est vivos & mortuos, & sæculum per ignem.

Oremus.

PRæsta Domine bene†dictionem copiosam super hanc Massam creaturarum tuarum, ut fiat salubre remedium contra intoxicationem, & omnia veneficia, atque incantationes magicarum & diabolicarum potestatum, ut omnibus sumentibus ex ea proficiat ad sanitatem animæ & corporis per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem.

Oremus.

SUpplices te, Deus, exoramus, ut in virtute benedictæ Crucis, & passionis Domini nostri Jesu Christi, & per merita & intercessionem S. Valentini Episcopi, & Martyris hanc Massam bene†dicere, & sancti†ficare digneris; ut, quicunque ex ea gustaverint, salutem mentis & corporis consequantur.

Extingue, quæsumus, ex ea sumentibus morbum caducum, aliásque corporis & animæ infirmitates; ut tu Deus pro nobis Crucifixus prædiceris misericors & benignus, & gloriosus in Sancto Martyre tuo Valentino, qui curam pro omnibus in te confidentibus habes; qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aquâ benedictâ.

BENEDICTIO

Evangeliorum Sancti Joannis.

℣. Adjutorium. &c.

Oremus.

OMnipotens & misericors Deus, te suppliciter deprecamur; ut bene†dicere & sancti†ficare digneris hæc Sancta Evangelia in tui nominis honorem per dilectum tuum Apostolum Joannem Evangelistam, dictante Spiritu Sancto, conscripta; ut meritis sacratissimæ incarnationis tuæ, & intercessione ejusdem beatissimi Evangelistæ tui, quicunque eis usus fuerit, vel ea cum reverentia super se portaverit, salutem animæ & corporis à te recipiat & à visibilium atque invisibilium inimicorum insultibus præservari mereatur. Qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † Sancti descendat super hæc Evangelia, & maneat semper. Amen.

Aspergantur aquâ benedictâ, & incensentur Evangelia, quæ ante se habet in scripto aut in typo.

BENEDICTIO CHARTÆ EFFICAX.

Pro scribendis aut involvendis rebus sacris V. G. Sacra Cera, Agnus Dei, vel aliis rebus Sanctis adfugandum diabolum, & destruendum Maleficium.

℣. Adjutorium &c.

EXorcizo te Charta, quæ in usum humani generis ad referandum etiam magnalia de lege Domini digna visa es & per divinam voluntatem in te descriptio

tio conjugii inter ***Tobiam*** & ***Saram*** facta est ; dicente scripturâ : ***& acceptâ Chartâ fecerunt conscriptionem conjugii*** : in quo etiam , opere Angelico , diabolus extitit victus.

Exorcizo te per DominumDeum universi : Pa†trem & Fi†lium & spiritum † Sanctum , qui extendit cœlum sicut pellem , in qua cœlestibus splendoribus quasi characteribus scribens cœlos facit suam gloriam enarrare : ut bene†dicaris & sancti†ficeris ad omne opus diaboli destruendum. Et quicunque te sacris verbis respersam , vel sacram rem concludentem super se portaverit , vel in Domo sua affixerit , ab omni infestatione Satanæ liberetur. Per eum, qui venturus est judicare vivos. &c. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine potens in prælio , Deus ultionum , Deus Patrum nostrorum , qui per Moysen & Prophetas, antiquorum voluminum scriptores , tuæ bonitatis Mysteria divinitùs revelâsti : & per SS. Apostolos & Evangelistas tuos filii tui testamentum scribi voluisti. Bene † dicere & sancti † ficare digneris hanc Chartam , ut , quicunque vel sacris scriptam , vel sacra concludentem super se dignè portaverit , misericordiam tuam sibi sentiat advenire & ab ipso omnes Satanicæ oppressiones & maleficiorum turbines evanescant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur tenuiter aquâ benedictâ.

BREVE SUPER SE PORTANDUM AD GLORIAM DEI, SUORUMQUE SANCTORUM,

Contra Dæmones, Facturas, Ligaturas, Signaturas, Faſcinationes, & Incantationes, nec non ad præſervationem, & contra quaſcunque alias artes diabolicas.

Approbatum à Summo Pontifice Urbano VIII. in Capitulo generali P. P. Capucinorum Romæ celebrato. Anno 1635.

† Jeſus, † S. Maria, S. S. Apoſtoli Petrus & Paulus, † & B. P. N. Franciſcus. †

IN nomine Patris † & Filii † & Spiritûs ſancti. † Amen. † Hel † Heloym † Heloa † Tetragrammaton † Adonay † Saday † Sabaoth † Sother † Emmanuel † Alpha & Omega † Primus & Noviſſimus † Principium & Finis † Agios † Iſchiros † Otheos † Athanatos † Jehova † Homouſion † Ya † Meſſia † Eheye † Effireheie † increatus Pater † increatus Filius † increatus Spiritus ſanctus † Chriſtus vincit † Chriſtus regnat † Chriſtus imperat † Chriſtus vivificat † ſi Diabolus faſcinavit vel tenuit te T. N. ſuo effectu, per ſua opera maledicta, Chriſtus Filius DEI vivi & veri, liberet te ab omnibus ſpiritibus immundis, qui venit de Cœlo, & incarnatus eſt in utero Beatiſſimæ Virginis Mariæ, causâ humanæ ſalutis, & ejiciendi Diabolum, & omnem malignum ſpiritum à te in profundum inferni & abyſſi. † Ecce Crucem Domini noſtri JESU Chriſti, fugite partes adverſæ ab hac imagine Dei. T. N. ſinè ejus

ejus pœna & damno, non obstantibus quibuscunque vinculis, maleficiis & facturis, maledictionibus, quâcunque virtute, potentiâ & conditione constantibus [quibus hìc tenemini] vincit vos & mundum Leo de Tribu Juda, Radix David Alleluja, Alleluja, Alleluja. Per signum † Crucis de inimicis nostris libera me Deus meus, † Crux digna, lignum super omnia ligna. Per hoc Crucis † signum repellitur omne malignum. Ne mentem lædant, Phantasmata cuncta recedant, Alleluja. J. N. R. Judæorum. † Qui verbum caro factum est & habitavit in nobis, nascens ex Maria Virgine, per viscera misericordiæ suæ, in quibus visitavit nos oriens ex alto, & per intercessionem ejusdem B. M. V. & Angelorum Sanctorúmque omnium, maximè Apostolorum & Evangelistarum suorum Joannis, Matthæi, Marci & Lucæ, ipsum quæso, ut dignetur me T. N. liberare, & conservare ab omni infestatione Satanæ & ministrorum ejus, & ab omnibus maleficiis, incantationibus, sortilegiis, ligationibus, signaturis, fascinationibus, facturis mihi (etiam ad mortem) factis vel faciendis, ab insidiis Diaboli, ab omni mala voluntate, à spiritu fornicationis, à fulgure, tempestate, morte perpetua, à peste, fame & bello, à subitanea & improvisa morte, & ab omni malo. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.
Ex lib. num. *6.* † JESU, in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua libera me ab omni malo, ab omni peccato, ab omni infirmitate, ab omni infestatione Satanæ; da mihi tuam sanctissimam gratiam, pacem & charitatem. Amen. Pax Domini nostri Jesu Christi, & virtus Passionis ejus, & signum sanctæ Crucis.

Integritas B. V. Mariæ nec non ſuffragia omnium Sanctorum & Electorum Dei, & Titulus Salvatoris noſtri in Cruce J. N. R. J. ſit triumphalis hodie, & quotidie inter me, & inimicos meos, viſibiles, & inviſibiles, contra omnia pericula animæ & corporis mei omni tempore. Amen. † Gaudebo & exultabo in Deo Jeſu meo, O Jeſu! Jeſu! eſto mihi JESUS, Creator, Comprehenſor, & Judex univerſi. *Benedictio S. Franciſci. Z.* Bene†dicat tibi Dominus & cuſtodiat te † oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui: Convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Amen. Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat † te nomen Dei Jacob, mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te. † *Benedictio S. Vinc. Confeſ.* Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Jeſus Mariæ Filius, mundi ſalus & Dominus, meritis B. M. V. S.S. Angelorum, Apoſtolorum Petri, & Pauli, S.S. Vincentii, Joſephi, Joannis Baptiſtæ, Dominici, Franciſci P. N. Urſi, Euſebii, Ubaldi, Cypriani, & B. P. N. Antonii, ac S. Ludovici Epiſcopi, atque B. F. N. Juniperi ſit tibi clemens & propitius. Amen. Exurgat Deus & diſſipentur † inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum à facie ejus, ſicut deficit fumus, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant † Dæmones à facie Dei. Chriſte, Fili Dei vivi, miſerere mei. Eripe † me Domine ab homine malo, & à viro iniquo eripe † me. Eripe me † de inimicis meis, & ab inſurgentibus in me libera me! Eripe † me de operantibus iniquitatem, & de viris ſanguinum ſalva † me. Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. Ecce concipies in utero, & paries prolem Deo & hominibus gratam, per

Deum vivum, Sanctum, & immortalem, qui fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, Dominus solvit † compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit lapsos, Dominus diligit justos, Dominus custodit advenas, pupillum & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet. Domine illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: prævalui adversùs eum. Dominus custodiat introitum, & exitum tuum ex hoc nunc & usque in sæculum. Amen. Dominus JESUS Christus apud te sit, ut te defendat, intra te sit, ut te conservet, ante te sit, ut te deducat, post te sit, ut te custodiat, super te sit, ut te benedicat & sanctificet. Qui cum Patre & Spiritu sancto in unitate perfecta vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen. Benedictio Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritûs sancti descendat super te & maneat tecum semper. Amen. Fiat, Alleluja. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum Filium suum & Dominum nostrum. Amen. Jesus, Maria, Joseph, per virtutem S. Petri, S. Pauli, ac S. Sixti, discedite & fugite à me vos omnes inimici Christi. Amen.

Sancta Maria Mater Domini nostri Jesu Christi, & sancte Pater Ubalde in manus vestras commendo hodie & semper animam meam, consilium meum, oculos meos, manus meas, pedes meos, & totum corpus meum. Custodite ô Domina, & sancte Ubalde, à periculis Diabolorum, ministrorum eorum, & ab omni opera Satanæ, à viis malis, tentationibus Diaboli,

 pœnis

pœnis inferni, & illuminate cor meum Spiritu ſancto, & à vobis nunquam ſeparari permittatis. Amen. Glorioſa Virgo, Domina Cœli & Terræ, ſanctiſſima Mater Domini noſtri Jeſu Chriſti, totis præcordiis meis te precor ô Beatiſſima, per unigenitum Filium tuum, & per tua ineffabilia merita, quatenus mihi concedere velis liberationem, præſervationem, & auxilium contra omnes malignos ſpiritûs, & quæ omnium miſereri conſueviſti, curam habere digneris de liberatione, præſervatione, & de ſalute mea, impetráque mihi, obſecro, à dilecto Filio tuo liberationem ab omni poteſtate Diabolorum, & miniſtrorum eorum, & ab omni Vexatione Diabolica. Amen.

Conjuro vos omnes Dæmones per nomen Dei vivi, & per merita, & deprecationes S. Ubaldi Epiſcopi, ut non habeatis poteſtatem ſuper creaturam iſtam T. N. nocendi nec in die, nec in nocte, neque orando, neque vigilando, neque dormiendo, neque ſedendo, nec ſtando, neque comedendo, aut bibendo, nec ſua naturalia exercendo, nec in ulla hora diei vel noctis, nec habeatis poteſtatem intrandi domum ſuæ habitationis, nec in ulla figura appareatis, nec habeatis poteſtatem perturbandi ſenſus ejus interiores vel exteriores à planta pedis uſque ad verticem capitis, neque humores commovendi, neque in diſſecationes ducendi, aut quâcunque imbecillitate vexandi, neque horis diurnis, vel nocturnis ejus quietem impediendi. Amen. Super ægros manus imponent, & bene habebunt.

Jeſus Mariæ Filius, mundi Salus & Dominus, meritis Beatiſſimæ Virginis, & Beati Ubaldi Epiſcopi & Confeſſoris, inſtituat tibi ſanitatem ſitque clemens & propitius. Amen.

§. 2.

DE BENEDICTIONIBUS Sacrarum Imaginum.

Benedictio Figurarum Sanctissimi Nominis Jesu.

℣. Adjutorium. ℣. Dom. Vobisc.

Oremus.

BEne✝dic Domine Jesu Christe, hanc tui Sanctissimi Nominis impressionem, & concede, ut, sicut in fide ipsius claudum à nativitate ambulare fecisti, cùm dixit ei S. Petrus: in nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula; sic tua creatura hanc Sanctissimi Nominis impressionem apud se devotè portans, ab omni infirmitate, per tuam piissimam misericordiam, liberari mereatur. Et in quocunque loco hæc tremendi nominis tui figura fuerit affixa, ibi nullus malignus Spiritus possit intrare, aut maleficia sua, sive per se, sive per alios exercere, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui præ omnibus Angelis excellentius nomen hæreditâsti, & cum Patre, & Spiritu S. vivis. &c.

Oremus.

DEus, qui sacratissimum nomen dilectissimi Filii tui D. N. Jesu Christi fecisti fidelibus tuis summô suavitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum atque terribile; concede propitius, ut omnes maligni Spiritus hanc S. Nominis tui figuram, quam ego Sacerdos tuus ad honorem tuum bene✝dico, atque sancti✝fico, aspicientes divinô terrore

percussi fugiant procul, nec audeant appropinquare homini, aut loco, in quo & apud quem hoc benedictum nomen Jesu fuerit. Per eundem Dominum, &c.

Aspergatur.

Benedictio Imaginis Jesu Christi.

℣. Adjutorium. &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui sacras unigeniti Filii tui, & Sanctorum Imagines, & Effigies sculpi vel pingi per Ecclesiam tuam voluisti, ut, quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus & sanctitatem ad imitandum, memoriæ oculis meditemur: hanc quæsumus, imaginem (vel sculpturam) in honorem & memoriam unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi adaptatam bene † dicere & sancti † ficare digneris, & præsta, ut, quicunque coram illa eundem unigenitum Jesum Christum humiliter & suppliciter honoraverit & invocaverit, ejus meritis & obtentu à te gratiam in præsenti, & gloriam æternam obtineat in futuro. Per eundem Dominum, &c.

Aspergatur.

Benedictio Imaginis B. Mariæ V.

℣. Adjutorium. ℣. Dom. Vobisc.

Antiphon. Sub tuum præsidium confugimus Sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta.

Psalm.

Psalm. 86.

Fundamenta ejus in montibus Sanctis. *ut in Officio B. M. V.*

Antiph. Sub tuum præsidium. &c.
℣. Ora pro nobis S. Dei Genitrix. ℟. Ut digni. &c.

Oremus.

DEus, qui de B. Mariæ V. utero verbum tuum Angelo nuntiante carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut, qui verè eam genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem D. N. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Clementiæ tuæ dispositione cuncta ex nihilo creâsti: hanc Imaginem in honorem piissimæ genitricis Filii tui D. N. Jesu Christi venerabiliter adaptatam bene†dicere, & sancti†ficare digneris: & præsta misericordissime Pater per invocationem nominis tui, atque unigeniti Filii tui D. N. Jesu Christi, quem pro salute humani generis, integritate Virginis Mariæ servatâ, incarnari voluisti, ut precibus & intercessione ejusdem Sacratissimæ Virginis, quicunque eandem misericordiæ matrem & Reginam, coram hac ejus effigie suppliciter deprecati fuerint, eámque piè honoraverint, omnium delictorum veniam & gratiam, quam desiderant, impetrare mereantur. Per eundem D. N. J. C. F. tuum, qui. &c.

Aspergatur & thurificetur.

Benedictio Iconum Generalis.

℣. Adjutorium. &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut iconem hanc, in qua Glorioſiſſima Imago Filii tui D. N. Jeſu Chriſti *vel* glorioſæ Virginis Mariæ, *vel* Sancti N. N. *Evang. Apoſtoli*, *Mart. Confeſſ. Virg. &c.*) depicta eſt, bene✝dicere, & ſancti✝ficare digneris, ante quam quicunque ob devotionem ad te ipſum adorandum ſe devotè inclinaverint, ſalutem mentis & corporis conſequantur; & à cunctis periculis liberentur, præſerventur, & quidquid petiêrint, obtinere mereantur. Per eundem. &c.

Aſpergatur.

Benedictio Crucis Vexilli,

℣. Adjutorium. &c. ℣. Dñe exaudi. &c.

Oremus.

BEne✝dic Domine Jeſu Chriſte, hanc Crucem tuam; per quam eripuiſti mundum à poteſtate Dæmonum, & ſuperáſti paſſione tuâ ſuggeſtorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti ſumptionem. Sancti✝fica Domine Jeſu Chriſte ſignaculum iſtud Paſſionis tuæ; ut ſit inimicis tuis obſtaculum, & credentibus in te perpetuum efficiatur Victoriæ vexillum; & ut, in quocunque loco fuerit collocatum, nulla ſit habitatio Dæmonum, ſed fugiant confuſi, & elongentur ab ipſo loco, & habitantibus in eo, quantùm elongatum eſt Coelum à terra: ſed inhabitent Angeli Sancti, præliatores fortiſſimi, locum & habitatores protegentes. Qui vivis. &c.

Oremus.

Oremus.

ROgamus te, Domine Sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus: ut digneris bene†dicere hoc signum Crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano; sit soliditas fidei; profectus bonorum operum; redemptio animarum; sit solamen, & protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per D. N. J. C. Filium tuum, qui. &c.

Oremus.

DEus, qui beatæ Crucis patibulum, quod priùs erat sceleratis ad pœnam, convertisti redemptis ad vitam; concede plebi tuæ ejus vallari præsidiô, cujus est armata vexillô. Sit ei Crux fidei fundamentum, spei suffragium, in adversis defensio, in prosperis adjuvamen; sit ei in hostes victoria, in civitate custodia, in campis protectio, in domo fultura; ut per eam Pastor in futuro gregem conservet incolumem, quæ nobis, Agnô † vincente, conversa est in salutem. Per eundem D. N. J. C. Filium tuum, qui. &c.

Aspergat & dicat.

Sanctificetur hoc signum Crucis in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † Sancti, ut orantes inclinantésque se propter dominum ante istam Crucem, inveniant sanitatem corporis & animæ. Amen.

NB. *Si fuerit Crux parva V. G. pectoralis, quæ ad collum appenditur, aut ad Rosarium, fiat super eam benedictio, qualis hic apponitur:*

℣. Adjutorium. &c.

Oremus.

Oremus.

OMnipotens Deus, qui Crucis ſignum pretioſò Filii tui ſanguine dedicâſti, quíque per eandem Crucem Filii tui D. N. Jeſu Chriſti mundum redimere voluiſti, & per virtutem ejusdem Venerabilis Crucis humanum genus ab antiqui hoſtis Chirographo liberâſti, te ſuppliciter exoramus: ut digneris hanc Crucem paternâ pietate bene†dicere, & cœleſtem ei virtutem & gratiam impartire; ut, quicunque eam in Paſſionis & Crucis unigeniti tui ſignum ad tutelam corporis & animæ ſuper ſe geſtaverit; cœleſtis gratiæ plenitudinem in ea, & munimen valeat tuæ benedictionis accipere. Quemadmodum Virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendam benedixiſti: ita & hoc ſignum tuâ dexterâ bene†dic, & contra omnes diabolicas fraudes virtutem ei tuæ defenſionis impendas; ut portantibus illud animæ pariter & corporis proſperitatem conferat ſalutarem, & ſpiritualia in eis dona multiplicet. Per eundem Chriſtum D. N. ℞. Amen.

Aſpergatur dicatúrque.

Sanctificetur hoc ſignum Crucis in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & ſpiritûs † Sancti: & benedictio illius ligni, in quo membra Salvatoris noſtri ſuſpenſa ſunt, ſit in iſto ſigno Crucis, ut, portantes eam propter Deum, inveniant corporis & animæ ſanitatem. Per Chriſt. &c.

Benedictio & Conjurationes, *Quando* Crux *contra tempeſtates erigitur,* à S. Carolo Borromæo Ordinis noſtri protectore *introducta.*

BEne†dic etiam Domine, & Sancti†fica illud ſignaculum Paſſionis tuæ ſacræ, ut ſit inimicis tuis ob-

obstaculum & credentibus perpetuum perfice auxilium. Qui vivis & regnas.

Hic aspergatur aquâ benedictâ, dicendo:

Sanctificetur istud lignum in nomine Pa†tris, & Fi†lii & Spiritûs † Sancti, ut orantes & inclinantes propter te, Domine, ante istam Crucem inveniant sanitatem corporis & animæ.

Bene†dicat vos nubes Deus Pater, bene†dicat vos nubes Deus Filius, bene†dicat vos nubes Deus Spiritus S.

PEr effusum sanguinem Jesu Christi, per lignum Crucis descendat, & liberet Deus hos campos, & vineas à tempestatibus, & simul omnibus diabolicis insidiis. Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Ecce Crucem Domini † fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda Radix David Alleluja, alleluja, alleluja. Hoc signum † erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit, fugite vos per hoc signum † Sanctæ Crucis in nomine Pa†tris, extermino vos per Crucem †admirabile signum in nomine Fi†lii, dissipo vos per Crucem † signum æternæ confusionis vestræ in nomine Dei Spiritûs † S. Disperdo vos per † Crucem, in qua fides nostra consistit in nomine Pa†tris; destruo vos per crucem † torcular, quo sanguis Christi exprimitur in nomine Fi†lii; annullo vos per Crucem † triumphum redemptionis nostræ in nomine Spiritûs† S. consumo vos per Crucem † clavem Paradisi in nomine Pa†tris; destruo vos per Crucem, † in qua pretium nostrum pependit in nomine Fi†lii; dirumpo vos per Crucem † morsum Satanæ, & Angelorum ejus. In nomine Spiritûs † S. Liquefacio vos per Crucem† perpetuum scutum Christi amorem in nomine Pa†tris;

per-

persequor vos per Crucem † fugatricem diabolorum in nomine Fi†lii; resolvo vos in aquam per Crucem † maledictorum perditionem in nomine Spiritûs † S. Amen.

Fugite inimici Crucis Christi per Nativitatem, per Passionem, mortem & resurrectionem Jesu Christi, dissipentur, destruantur, annihilentur opera omnia diaboli his campis & vineis contraria.

EXorcizo vos ventos favorabiles, & præcipio per eum, qui producit ventos de thesauris suis; per eum, qui fecit ventum, quasi rorem flantem in medio fornacis ardentis, & liberavit Azariam & Socios ejus, & per eum, qui, cùm ascendisset naviculam, fecit cessare contrarium ventum & facta est tranquillitas magna, ut dispergatis, & auferatis nubes absque læsione horum camporum & vinearum, & deportetis vos, ubi non aratur, nec seminatur, nec nomen Dei invocatur, in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † Sancti, Amen.

Aspergantur omnia.

---

§. 3.

DE BENEDICTIONIBUS ARMORUM.

Benedictio Vexilli Ecclesiastici pro templis & Processionibus.

℣. Adjutorium. &c.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, cujus Ecclesia est velut Castrorum acies ordinata, bene†dicere digneris hoc

hoc vexillum, ut omnes ſub eo tibi Domino Deo noſtro Exercituum militantes, per interceſſionem ſancti N. Patroni, inimicos ſuos inviſibiles in hoc ſæculo ſuperare, & poſt victoriam in cœlis triumphare mereantur, per te Jeſu Chriſte, qui vivis & regnas, &c.

Aſpergatur.

Benedictio vexilli ſeu ſigni bellici.

℣. Adjutorium, &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, & triumphantium fortitudo, reſpice propitius ad preces humilitatis noſtræ, & hoc vexillum, quod bellico uſui præparatum eſt, cœleſti bene † dictione ſanctifica, ut contra adverſarias & rebelles Nationes ſit validum, tuóque munimine circumſeptum: ſitque inimicis Chriſtiani populi tui terribile, ac intercedentibus Sanctis tuis ſolidamentum, & victoriæ certa fiducia: tu enim es Deus fortis, qui conteris bella: & cœleſtis præſidii ſperantibus in te præſtas auxilium. Per Chriſtum, &c.

Aſpergatur & tradatur ei, cui conſignatum eſt, dicendo:

ACcipe vexillum, cœleſti benedictione ſanctificatum, ſi†gnum inimicis populi Chriſtiani terribile; & tibi det Dominus gratiam, ut ad ipſius nomen & honorem cum illo hoſtium cuneos, potenter penetres incolumis & ſecurus. *Addito.* Pax tibi.

Benedictio Ensis seu gladii.

℣. Adjutorium, &c.

Oremus.

BEne † dicere digneris, quæsumus, Domine, hunc ensem, & istum famulum tuum, qui eum, te inspirante, desiderat, pietatis tuæ custodiâ munias, & illæsum custodias ab omnibus inimicis ejus. Per Dominum. &c. Amen.

Aspergatur & tradatur ei, cujus est, genuflexo, dicendo.

Accipe ensem istum in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † S. & utaris eô ad defensionem tuam, & sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad confusionem inimicorum crucis Christi, ac fidei Christianæ: & quantum humana fragilitas permiserit, cum eo neminem injustè lædas: quod ipse tibi præstare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu S. vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Benedictio Armorum in communi.

NB. Ponuntur super mensam, vel altare, vel ab aliquo tenentur.

℣. Adjutorium. &c.

Oremus.

SIgnaculum & benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † S. descendat super hæc arma, & super induentem, quibus ad tuendam justitiam induatur: rogamus te Domine Deus, ut illum protegas, & defendas, qui vivis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus

Oremus.

DEus omnipotens, in cujus manu victoria plena consistit: quique etiam David ad expugnandum rebellem Goliath vires mirabiles tribuisti, clementiam tuam humili prece deposcimus, ut hæc arma almificâ pietate benedicere digneris, & concede famulis tuis (*vel famulo*,) eadem gestare cupientibus, ut ad munimen, ac defensionem S. Matris Ecclesiæ, pupillorum, & Viduarum, contra visibilium & invisibilium hostium impugnationem, ipsis liberè & victoriosè utantur. Per Christum. &c.

Aspergatur. Et si ad unum spectant, ponitur in singulari.

NB. Pro benedictione Sclopetorum & Bombardarum valet eadem benedictio, mutatis mutandis.

Benedictio Pulveris Tormentarii, seu Jaculatorii. Item globorum plumbeorum vel ferreorum cum Exorcismo.

℣. Adjutorium. &c.

Oremus.

EXorcizo vos creaturas pulveris tormentarii (globorum plumbeorum & ferreorum) per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, & per sanctissimam Trinitatem, Pa † trem, & Fi † lium, & Spiritum † S. & per Deum, qui omnia creavit ex nihilo: qui rebelles Angelos de cœlo ad inferos præcipitavit: & per Jesum Christum Filium ejus D. N. qui daturus est prædestinatis feliciter regnum æternum, & reprobis damnationem; & per omnia nomi-

na ſancta Dei, vos conjuro, & Exorcizo † & per omnia modò dicta, ut ſint in defenſionem noſtram, & Eccleſiæ Chriſti, ac in diſſolutionem omnium præſtigiorum, maleficiorum, & ſuperſtitioſarum illuſionum corporis humani: ita ut nihil impedire valeant, quò minùs per has creaturas Dei, inimici noſtri, & Catholicæ fidei hoſtes offendi, penetrari, & ſuperari valeant. Per eum, qui venturus eſt judicare. &c. Amen.

Oremus.

INeffabilem clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: ut, ſicut tu es unus in eſſentia, & Trinus in perſonis, Pater, Verbum & Spiritus S.; ita per eandem immenſam clementiam, & pietatem tuam, bene † dicere digneris has tuas creaturas pulveris tormentarii (globorum plumbeorum & ferreorum, &c.) ut ſint omnibus Chriſtianis fidelibus ad defenſionem, juſtis ea uſurpantibus protectio, & defenſio perpetua contra omnes ſpiritus malignos, incantationes, præſtigia, & maleficia: síntque perpetua malignorum ſpirituum, & maleficíorum expulſio, annihilatio, eorúmque ac omnium præſtigiorum ac ſuperſtitioſarum illuſionum diſſolutio & diſſipatio: ut quemcunque locum humani corporis ac hoſtilis tetigerit, nulla ſpirituum malignorum poteſtas eorum vim retundere vel debilitare poſſit, quò minùs pro fidei catholicæ, ac fidelium ſervorum tuorum defenſione, vel propugnatione, iniquorum hoſtium cuneos penetrare, in fugam propellere, & ſuperare poſſint: ídque benigniſſime Deus pro tua miſericordia præſtare digneris. Per virtutem ſanctiſſimæ Cru†cis Domini ac Salvatoris noſtri

nostri Jesu Christi, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs S. Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Aspergatur dicendo:

In Nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † sancti. Amen.

NB. Hæc benedictio adhiberi potest Gladiis, Sclopetis, Bombardis, &c. mutatîs mutandîs.

---

§. 4.

DE BENEDICTIONIBUS, quibus Sancti usi fuêre.

Benedictio Christi.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris †, & Filii † & Spiritûs † sancti descendat super te, & maneat semper tecum, Amen.

Benedictio S. Mariæ ad Apostolos.

BEnedicat vos, filioli! & totum hunc Mundum Dominus Deus Pater & sponsus Jesus Christus, Filius unigenitus meus, Spiritus sanctus, amor meus. Amen.

Epistola B. V. Mariæ ad Messanenses

Per modum Brevis *ad collum appendendi.*

MAria Virgo, Joachim Filia, Dei humillima, Christi JEsu Crucifixi Mater, ex tribu Juda, stirpe David; Messanensibus omnibus salutem, & Dei Patris omnipotentis Benedictionem.

 Vos

Vos omnes fide magnâ legatos ac nuntios per publicum documentum ad vos misisse constat. Filium nostrum Dei unigenitum, Deum & hominem esse fatemini: & in Cœlum post suam resurrectionem ascendisse, Pauli Apostoli Electi prædicatione mediante viam veritatis agnoscentes. Ob quod vos & ipsam civitatem benedicimus, cujus perpetuam protectricem nos esse volumus. Anno filii nostri XLII. Non. Junii. Luna XXVII. feria V. ex Hierosolymis. Maria Virgo, quæ supra, hoc Chirographum approbavit.

Sacra D. Francisci Benedictio contra Febres, Morbos, Dæmonésque pellendos.

†

BEnedicat tibi Dominus & custodiat te † ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui † convertat vultum suum ad te, & det tibi pacem. Dominus bene † dicat te. N.

Benedictio S. Antonii de Padua.

Seu BREVE S. Antonii *in sinu pro liberatione à Diabolicis infestationibus portandum, Vi cujus constat mulierem quandam à Dæmone obsessam, mirabiliter liberatam fuisse; ablatô verò à muliere scriptô, iterum in potestatem Diaboli rediisse. Ita commemorat* ord. nostri F. Valerius Polidorus in sua Dispersione Dæmonum pag. mihi 179. *Scriptum autem hujusmodi, in charta benedicta habendum tale erat:*

Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ: Vicit Leo de tribu Juda: Radix David. Alleluja Alleluja.

Benedictio B. Salvatoris ab Horta. C. Ord. Min. contra Febres.

POtentia Dei Patris †, Sapientia Dei Filii †, Virtus Spiri-

Spiritûs Sancti † liberet te ab omni Febri tertianâ, quartanâ & continuâ B. Salvatore orante pro te famulo suo vel famula sua. †

Dominus te N. benedicat † ab infirmitate, & ab omni malo te semper defendat. Amen.

NB. *Antequam hac benedictio Charta inscripta collo appendatur, Charta priùs sit hoc modo conjurata & benedicta.*

℣. Adjutorium. ℣. Domine. &c. ℣. Dominus Vobisc. &c.

Oremus.

COnjuro te, & bene†dico te Charta, per verba illa tituli triumphalis Salvatoris D. N. JESU Christi, & per omnia illa verba, quæ dicuntur de creatore omnium creaturarum, qui potest tribuere & facere, quòd tantam obtineas virtutem, ut omnia, quæ super te scribentur, ad effectum salutis æternæ perducere valeas; ut omnis fallacia & virtus Diaboli exeat de te, & intret in te omnis virtus prædicta sinè mora. In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † Sancti. Amen. *Aspergatur.*

Benedictio S. Vincentii Confessoris super Infirmos.

SUper ægros manus imponent, & benè habebunt: Jesus Mariæ Filius, mundi salus & Dominus, meritis B. Mariæ, SS. Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum sit tibi Clemens & propitius. Amen.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te † defendat; intra te sit, ut te † conservet; ante te sit, ut te † deducat; post te sit, ut te † custodiat; super te sit, ut te

te bene†dicat. Qui cum Patre & Spiritu Sancto in unitate perfecta vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † sancti descendat super te, & maneat semper tecum, Amen. *Aspergatur.*

Postulatio Benedictionis S. Gertrudis.

BEnedicat mihi, obsecro, hodie, Jesu Chare, anima tua. Benedicat me imperialis Divinitas tua. Exultet in æternum in te Spiritus meus & anima, & laudem dicam nomini tuo assiduè super omnibus bonis, quæ fecisti mihi, quia tu es Deus vitæ meæ, Redemptor & Amator animæ meæ, tibi laus & adoratio per interminа sæculorum sæcula. Amen.

Benedictio Sancti Valentini super infirmos.

IEsus Nazarenus Filius Dei & Virginis Mariæ, mundi salus & Dominus, qui te traxit ad fidem Catholicam, te conservet in ea, & beatum faciat, & virtute suæ bene†dictæ Crucis & Passionis: nec non meritîs ac intercessione Sancti Valentini Martyris & Pontificis dignetur te ab hac infirmitate liberare, & languore sanatô salvum atque incolumen deinceps ad laudem & gloriam nominis sui, ac Martyris Sancti Pontificis Valentini conservare, qui cum Patre & sancto Spiritu regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. *Aspergatur.*

DE

§. 5.

DE BENEDICTIONIBUS

Fieri ſolitis in honorem quorundam Sanctorum.

Benedictio Scapularis Sanctiſſimæ Trinitatis.

℣. Adjutorium. &c.

Oremus.

SUppliciter te Domine rogamus, ut ſuper hoc genus Scapularium ſervo tuo (*ancilla tua*) imponendum benedictio tua benignè deſcendat, ut ſit benedictus, atque divinâ virtute procul pellantur hoſtium viſibilium & inviſibilium tela nequiſſima. Per Christum D. N. Amen.

Oremus.

CAput omnium fidelium Deus, & humani generis ſalvator, hoc ſcapularium genus, quod propter tuum, tuæque genitricis amorem atque devotionem famulus tuus eſt delaturus, dexterâ tuâ ſancti†fica, & hoc, quod per illud myſticè datur intelligi, tuâ ſemper cuſtodiâ Corpori & animæ ſerviat, & ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus feliciſſimè perducatur. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen. *Aſpergatur.*

Benedictio Scapularis B. V. Mariæ.

NB. *Poteſt fieri à quolibet Sacerdote; non tamen cuilibet licitum eſt admittere ad ejusdem Scapularis fraternitatem. V. p. Cochem pag.* 63.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Domine Deus virtutum converte nos.
℟. Et oſtende faciem tuam & ſalvi erimus.
℣. Domine exaudi. &c.
℣. Dominus Vobiſc. &c.

NB. *Prædictas duas orationes hìc reaſſume & adde Seq.*

Oremus.

CReator, Conſervator, & ſalvator omnium, largitor humanæ ſalutis Deus, & dator gratiæ ſpiritualis, bene†dictionem tuam ſuper hunc habitum immitte; ut, qui eum geſtaverit, cœleſti virtute munitus, fidem integram, ſpem firmam, & charitatem perfectam teneat & à te nunquam ſeparari permittas. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aſpergatur.

Alia Benedictio Scapularis vel Indumenti.

℣. Adjutorium. &c.

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte, qui tegumen noſtræ mortalitatis induere dignatus es: obſecramus immenſam clementiam tuam & largitatis abundantiam, ut hoc genus veſtimenti, quod SS. Patres ad innocentiæ & humilitatis indicium abrenuntiantes huic ſæculo ferre conſueverunt, ita bene†dicere, & ſancti†ficare digneris, ut, quicunque hoc indumentum aſſumere intendit exteriùs, te intùs veraciter induere mereatur. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen. *Aſpergatur. Et dum tradit, dicat Sacerdos.*

Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis. Amen.

BENE-

Benedictio Rosarii.

℣. Adjutorium. &c.

Oremus.

OMnipotens & misericors Deus, qui propter nos filium tuum unigenitum D. N. Jesum Christum de cœlis in terram descendere, & de Beatissimæ Virginis Mariæ utero Angelô nuntiante, carnem suscipere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli; obsecramus immensam clementiam tuam, ut hæc signa Psalterii in honorem & laudem ejusdem genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicata bene † dicas, & sancti † fices, eísque Sanctam infundas virtutem Spiritûs Sancti, ut, quicunque horum quodlibet secum portaverit, atque in Domo sua reverenter habuerit, Sanctâ abundet devotione, & ab omni hoste visibili & invisibili semper & ubique in sæculo liberetur, & in exitu suo à beatissima V. Maria tibi plenus bonis operibus præsentari mereatur. Per eundem Christum D. N. ℟. Amen. *Aspergatur.*

Benedictio Rosarii seu Coronæ D. N Jesu Christi.

Constat 33. Pater noster ad 33. annos vitæ Christi, & 5. Ave Maria ad 5. Vulnera primaria ejusdem Passionis. Ad 5. majora Grana recitantur Ave Maria, & ad 33. minora Pater noster. Hic modus orandi cuidam Eremitæ in Camaldulensi Eremo, (Michael nomine) divinitùs est inspiratus, & à diversis Ecclesiæ Præsulibus approbatus. Benedictio ejus sequens est:

℣. Adjutorium nostrum &c.

℣. Benedices Coronæ anni benignitatis tuæ.

℟. Et

℟. Et campi tui replebuntur ubertate.
℣. Domine exaudi &c. Dominus vobisc. &c.

Oremus.

DEus, qui redemptionem populo tuo Angelô nuntiante per Unigeniti Filii tui incarnationem misisti, cúmque triginta tribus annis servilem formam gerendo humani generis salutem operari sanxisti, per quem postmodum B. Michaeli Eremitæ Camaldulensi tot in memoriam annorum illorum orationes Dominicas recitare tibi beneplacitum esse ratificâsti: dignare ergo, Domine, has Coronas, seu Rosariola bene†dicere, & sancti†ficare, ut famuli tui, qui eas devotè gestaverint, ac devotè recitaverint, indulgentias & gratias per summos Vicarios concessas plenè consequi mereantur. Per Christum D. N. &c.

Aspergatur.

Benedictio Catenulæ deportandæ in honorem B. M. V. sive Vinculorum *Mancipatûs Parthenici.*

℣. Adjutorium. ℣. Dom. Vobisc.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui vincula peccatorum nostrorum disrumpis, ut libertate filiorum gaudere valeamus, & qui ad vincula salutis hominem advocas, dicens: *Injice pedem tuum in compedes illius, & in Torques illius Collum tuum: & ne acediêris vinculis ejus.* Hæc vincula, quæ in signum perpetuæ servitutis ad honorem B. V. servi ejus (*Famulæ*) deferre intendunt, bene † dicere & sancti†ficare

ctif‌icare digneris, & concede eis, ſic illa devotè gerere, ut vivendo candore caſtitatis illuſtrentur, ac moriendo à vinculis abſoluti [*abſoluta*] interceſſione ejuſdem SS. Matris Mariæ, tecum, & cum illa in regno gloriæ congaudere valeant ſinè fine. Per Chriſtum D. N. Amen.

Aſpergatur.

Benedictio Annulorum & Armillarum.

Quæ in B. V. Mariæ & S. Joſephi æternum obſequium deferri ſolent.

Antiph. Tulit Rex annulum ſuum de manu ſua, & dedit eum in manu Joſeph, veſtivítque eum ſtolâ byſſinâ, & collo Torquem auream circumpoſuit.
℣. Annulô ſuô ſubarrhavit eum.
℟. Ut præpoſitum eum ſcirent univerſæ terræ.
℣. Domine exaudi. ℣. Dom. vobiſc.

Oremus.

OMnipotens æterne Deus, qui juſtô judiciô diſperdis ſuperbos, & exaltas humiles, quíque antiquum Patriarcham Joſeph, ob inſignem caſtimoniam ſuam de ſqualore Carceris eductum, ſupremum Ægypti Dominum conſtituiſti, & regiô annulô, ac Torque aureâ condecorari voluiſti, concede propitius: ut, qui ſecundi Joſephi caſtiſſimæ Mariæ ſponſi, ac unigeniti tui Nutritii ſacrum annulum, quô ſibi innocentiſſimam ac ſemper illibatam Virginem Mariam deſponſavit, in terris noſtrâ devotione colimus, ejus interceſſione, & patrociniô à te in cœlis deſponſari mereamur. Per eundem Chriſtum, &c.

Oremus.

Oremus.

OMnipotens æterne Deus, qui unigenitum Filium tuum Jeſum, per piiſſimæ V. Mariæ puriſſimas manus Faſciis ligari & involvi, à Sanctiſſimo Joſeph ulnis geſtari, ac manibus impiorum duriſſimis vinculis ferreis & funibus ligari, crudeliter conſtringi & trahi permiſiſti, ut nos à vinculis peccati & cruciatibus æternis clementer eriperes: bene†dic Domine annulos iſtos, & catenulas, & vincula, quæ fideles tui in ſignum ſacræ mancipationis geſtare decernunt, & præſta, ut, quicunque in memoriam faſciarum & vinculorum dilectiſſimi Filii tui, ac beatiſſimæ Matris ejus Mariæ, ſanctiſſimíque Joſephi devotè ea portaverint, & ſanctiſſimæ Virginis ac beatiſſimi Joſephi Sponſi ejus perpetuo famulatui & obſequiis ſeſe dedicaverint, in articulo mortis ſuæ ab omnibus peccatis abſoluti, perpetuâ libertate donati, cum omnibus Sanctis coronâ gloriæ perfrui mereantur in cœlis. Per eundem Chriſtum D. N. Amen.

Aſpergantur.

Benedictio annuli ordinarii, & Nuptialis.

℣. Adjutorium, &c. ℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

CReator & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, conditor æternæ ſalutis: Domine emittere digneris Spiritum S. tuum paraclitum de cœlis; & tuam ſanctam bene†dictionem ſuper annulum hunc, ut ſit armatura potens contra omnes virtutes diabolicas. Et ego in tuo nomine eum bene†dico & ſancti†fico, in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † S. Amen.

NB. *Si*

NB. *Si fuerit Annulus sponsalis, præfata oratio-ni anteponat dicendo:*

Bene † dic Domine annulum hunc, quem nos in nomine tuo & in honorem B. M. V. atque S. Josephi sponsi ejus bene † dicimus, & præsta, ut quæ eundem portaverit, fidelitatem integram suo sponso tenens in pace & fide tua permaneat, in mutua charitate semper vivat, & senescat, atque in longitudine dierum multiplicetur. Per Christum D. N. Amen.

Aspergatur.

Benedictio Annuli pro Puella votum Virginitatis habente, aut jam emittente.

℣. Adjutorium. ℟. Dominus &c.

Oremus.

CReator & conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, & largitor humanæ salutis; tu Domine emitte bene † dictionem tuam super hunc annulum; ut, quæ eum gestaverit, cœlesti virtute munita fidem integram fidelitatémque sinceram teneat, sicut sponsa Christi virginitatis propositum custodiat, & in castitate perpetua perseveret. Per Christum D. N. Amen. *Aspergatur.*

Benedictio Cilicii gestandi.

℣. Adjutorium &c. ℟. Dominus. &c.

Oremus.

OMnipotens & misericors Deus, bene † dicere digneris hoc Cilicium & indumentum, quod famuli tui pro humilitate & pœnitudinis suæ devotione induere appetunt: ut, sicut Ninivitarum populo in Cinere & Cilicio pœnitenti pepercisti, ita & hic famu-

famulus, humiliationis & professionis suæ hoc indutus vestimento, à te Creatore suo, omnium percipiat incrementa virtutum, & cunctorum indulgentiam consequatur delictorum. Per Christum. &c. Amen.

Alia Benedictio.

OMnipotons & misericors Deus, qui corporibus pœnitentibus hoc indumentum imposuisti, & per illud misericordiam ac veniam tribuisti: oramus clementiam tuam, ut indumentum hoc, quod vocatur Cilicium, bene † dicere & sancti † ficare digneris, ut, quicunque eo pro suis aut aliorum peccatis indutus fuerit, & misericordiam tuam imploraverit, veniam & indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ consequatur, & gratiæ tuæ fortitudine ab omnibus carnis & Diaboli insidiis, tentationibúsque præservetur ac liberetur. Per Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur.

Benedictio *Numismatis vel Monetæ S. Georgii Effigie insignitæ.*

℣. Adjutorium. &c. ℣. Dominus vobisc. &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, largitor bonorum omnium, salus & vita nostra, te supplices exoramus, & petimus, ut hanc Monetam &c. cui Imago S. Georgii M. tui impressa est, bene † dicere & sancti † ficare digneris, ut, qui eam devotè gestaverint, vel domi asservaverint, per merita & intercessionem S. Georgii ab omni graviori corporis lapsu præserventur, ejusque, utì & animæ sanitatem continuam consequantur: per Dom. N. Jesum Christum Filium

Filium tuum, veram animarum nostrarum, corporúmque medicinam. Qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Aspergatur.

Benedictio Numismatum S. Benedicti.

Quæ fieri debet à Sacerdote post Missam, antequam Paramenta deponat, potéstque à quovis Sacerdote fieri. V. P. Cochem pag. 125.

℣. Adjutorium. &c. ℣. Dominus vobisc.

Oremus

OMnipotens Deus, bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infusor, supplices te rogamus, ut manibus nostris opem tuæ benedictionis infundas, & hæc Numismata & characteres ad abigendos Dæmones, morbósque pellendos, tuâ revelatione præparatos, virtute S. Spiritûs bene†dicere, & omnibus eis utentibus sanitatem mentis & corporis, & gratiam sanctificationis concedere digneris; ut in conspectu tuo Sancti & immaculati appareant, & insidias inimici per auxilium Misericordiæ tuæ clementer effugiant. Per Dominum, &c.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui pro redemptione mundi de Virgine nasci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda osculô tradi, sicut Agnus ad victimam duci, flagellîs cædi, spinîs coronari, clavîs perforari, in Cruce levari, inter latrones reputari, felle & acetô potari, ab hominibus blasphemari, lanceâ vulnerari, & tandem in Cruce mori voluisti. Per has Sacratissimas pœnas & Passiones tuas te suppli-

pliciter exoramus, ut ab omni loco, domo & homine, quò hæc numiſmata deportata fuerint, & quicunque per litteras & characteres hos nomen Sanctum tuum invocaverint, expellas omnes fraudes, peſtem & inſidias Diaboli & eundem locum, omnésque habitatores ejus, & omnes, quicunque ſignati fuerint hoc ſignô ſanctificationis, ad priſtinam ſanitatem perducere digneris fractô vinculô cujuscunque gentis malignæ, Qui vivis. &c.

Exorciſmus contra Diabolum.

MAledicti & excommunicati Dæmones, in virtute verborum iſtorum, Meſſias, Emmanuel, Sabaoth, Adonay, Athanatos, Iſchyros & Tetragrammaton vos conſtringimus, privamus & expellimus ab omni loco & domo, ubi hæc numiſmata fuerint & præcipimus vobis, ut non habeatis poteſtatem per peſtem nocere corporibus habitantium in eis. Ite maledicti in ſtagnum ignis: ite ad loca vobis deputata, & nunquam huc accedere audeatis. Imperat enim vobis Deus † Pater. Imperat vobis Deus † Filius. Imperat vobis Deus † Spiritus S. diſcedite ergo maledicti Dæmones in nomine D. N. Jeſu Chriſti; qui venturus eſt judicare. &c. Amen.

Aſpergantur.

Benedictio Sagittarum S. Sebaſtiani.

vel aliorum ſignorum alicujus confraternitatis, vel Sancti.

℣. Adjutorium. &c. ℟. Qui fecit. &c.
℣. Sit nomen Domini benedictum,
℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.
℣. Dñe exaudi. &c. ℣. Dominus. &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, largitor bonorum omnium, salus & vita nostra, te supplices exoramus, & petimus, ut has Sagittas [*vel haec signa* &c.] quibus Domini Redemptoris nostri, in Cruce pro nobis pendentis signum, & Imago intemeratae V. Deiparae Mariae & S. Sebastiani M. (*vel alterius Sancti*) impressa est, bene†dicere, & sancti†ficare digneris; ut, qui has secum devotè gestaverint, vel Domi asservaverint, per merita Sanctissimae Mariae, & per intercessionem S. Sebastiani (*vel aliorum SS. N.*) ab omni pestifera lue, ab omni morbo contagioso, & ab omnibus inimicorum insidiis praeserventur, & corporis & animae sanitatem continuam consequantur. Per D. N. J. C. Filium tuum, verum animarum nostrarum, corporúmque medicum. Qui tecum vivit & regnat in saecula saeculorum. Amen.

Aspergantur.

Benedictio Medaliorum seu Numismatum Generalis.

℣. Adjutorium. ℣. Dominus. &c.

Oremus.

BEne†dic Domine Numismata haec, ut sint salutare remedium, & devotionis Augmentum omnibus ea devotè venerantibus. Et praesta per invocationem tui S. Nominis, & Sanctorum tuorum, quorum effigies haec praeseferunt, ut, quisquis eadem secum portaverit, aut Domi suae asservaverit, bene†dictionem & defensionem tuam accipiat: atque contra omnes morbos, universásque tentationes Diaboli tutamen

men penes ſe habeat. Unde ego Sacerdos in nomine tuo & in nomine Sanctorum tuorum hæc Numiſmata puri†fico, ſancti†fico, bene†dico: ut ſint defenſio creaturis tuis, & ignis ardens Dæmonum, atque deſtructio omnium maleficiorum. In nomine Pa†tris & Fi†lii, & Spiritûs†Sancti. Amen.

Aſpergantur.

Benedictio Imaginum S. *Joannis Nepomuceni.*

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. ℟. Amen.

℣. Adjutorium. &c. ℣. Dominus. &c.

Oremus.

OMnipotens, ſempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum Imagines non modò pingi, ſculpíque non reprobas, verùm etiam in iis te, & Sanctos tuos gaudes honorari, ut, quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum acta, & vitæ Sanctitatem ad imitandum mentibus proponamus, hanc, quæſumus, Imaginem, Memoriæ, atque Venerationi Beati JOANNIS NEPOMUCENI, Lineamentis ſuis adaptatam bene†dicere, conſe†crare, & ſancti†ficare digneris; & præſta, ut, quicunque in illa S. JOANNEM NEPOMUCENUM ſuppliciter colere, & honorare ſtuduerit, ejusdem Sancti meritîs, ac Interceſſione â te in præſenti hoc ſæculo gratiam, & in futuro gloriam obtineat ſempiternam.

Oramus ſupplices Clementiam tuam, miſericors DEUS, ut Effigiem hanc D. Martyris JOANNIS NEPOMUCENI, quâ eundem devotioni noſtræ piè repræſentamus, pro largitate infinitæ bonitatis tuæ tot Bene†dictionibûs ex alto circumfundas, quot

innu-

innumeris necessitatibus nostris proficuas cognoscis; ut intuentes, Gestantes, Honorantes illam inexhaustum Misericordiæ tuæ pelagus in se diffusum experiantur, & quemadmodum in Sanctis Tuis te laudant in tempore, ità cum illis te adorent in Beata Æternitate.

DEUS, qui Beatum JOANNEM NEPOMUCENUM ob Virtutes ejus Heroicas Sanctorum tuorum Albo adscribi, & continuatîs coruscare Miraculîs, Ejúsque Sacratissimam linguam â putredine, & corruptione ad hunc usque diem præservare voluisti, te humiliter deprecamur, ut hanc Dilectissimi Servi tui Imaginem, quam excitandæ in eum Pietati, & in Memoriam revocandæ virtutum ejus imitationi expressam hìc conspicimus, ad laudem, & Gloriam divinæ Majestatis tuæ pio ritu Bene†dictam, Conse†cratam, & Sancti†ficatam per Gloriosa ejusdem merita eâ Virtute, & Efficaciâ impertiri digneris, ut omnis, qui illam sinui insertam, vel collo appensam; aut quocunque alio modô contiguam fiducialiter, penès se gesserit, reverenter asservârit, debitáque pietate fuerit veneratus, is omni de Rore Cæli, & pinguedine terræ Benedictione sit Benedictus; & Patrocinante S. JOANNE NEPOMUCENO, si Æger est, exoptatam Sanitatem, si captivus, libertatem, si Orphanus, Tutelam, si Fessus, Requiem, si Peregrinus, Tectum, si Pauper, egentiæ suæ Subsidium, si quomodocunque tristis, opportunum nanciscatur Solatium. Tutus sit atque securus adversùs pericula in civitate, pericula in solitudine, pericula itinerum, errorum, præcipitiorum, aquarum, latronum, pericula ab inimicis, pericula à falsis Fratribus,

tribus, pericula omnia Corporis, & Animæ. Quòd, si Orationum Libro inclusam, aut Coronæ precatoriæ innexam illam habuerit, preces ejus penetrent Cælos, & quidcunque â DEO petierit, impetret. Qui autem iconem hanc Benedictam Rebus aliò avehendis transportandísque apposuerit, eas ad destinatum terminum citra amissionem corruptionémque pervenisse lætetur. Universim insuper unusquisque S. JOANNIS NEPOMUCENI cultor, ac imitator devotus benedicta hac Icone munitus, ac provisus famam â malis hominum linguis, atque injustis criminationibus omninò servet illæsam; aut, si infamiam passus est, bono confestim nomini restituatur in integrum; nec infamari metuat, nec velit infamare; linguam refrænet; & quidquid sibi fieri, vel de se dici nolit, neque aliis faciat, vel de aliis loquatur. Justitiam amet, odio habeat injustitiam; Suum cuique tribuat; vendenti pretium, operario Mercedem, creditori debitum promptè persolvat; pari semper, ac ubique mensurâ, & æquo pondere negotietur. Ad hæc quoties sacro-sanctum pœnitentiæ Tribunal adierit, pœnitentiam agat seriò; omni positâ erubescentiâ Confiteatur peccata integrè; & quodvis Sacrilegii crimen abhorreat. Imò etiam aliis vel solâ Imaginis hujus Sacræ præsentiâ horrorem ejusmodi incutiat. Quòd, si Sacerdotis, Confessarii, Prædicatorísque munere fungitur, efficaci verborum suorum vî cordibus peccatorum Legem DEI sic imprimat, ut nullo Dæmonis, aut Seductoris conatu unquam erádi possit, atque deleri. Inprimìs autem, ac ante omnia quisquis ille est, interveniente S. JOANNE NEPOMUCENO ab æterna confusione libe-

liberetur ; & ùt S. JOANNEM honoraverat vivens, ità nec ab eo in extremo mortis articulo destituatur. Ei S. Joannes cum cæteris Sanctis ejus Patronis Extremum certanti certamen assistat ; animam ejus adversùs hostes infernales protegat, & feliciter faxit egredi ; quòd, si in piaculares inciderit Flammas, his brevì erutam in cælestem Gloriam deducat, & beatæ Æternitatis suæ reddat participem.

Eam verò Domum, cujus foribus Benedicta hæc Icon præfixa, vel pro Altari, aut alio decenti loco exposita fuerit, eam Domum, & omnia, quæ in ea sunt, singulari protectione S. JOANNES custodiat ; ab inundationibus, igne, furtis, peste, cæterísque morbis noxiis, Hominibus Improbis, Magis, Sagis, Lemuribus, Spectris, omníque incursu visibilium, & invisibilium Hostium protegat ; hàc ingredientes, egredientésque Gratîis suîs ubertim locupletet. In Domibus ejusmodi Patres, Matrésque Familias ità dirigat, & disponat, ut commissos sibi Familiares ad Christi legem conformiter gubernent, proles suas piè educent, servis juxta normam conscientiæ imperent, rem Domesticam ritè administrent, opes justè, & gnaviter congregent, bene parta prudenter conservent, amissa feliciter recuperent. Liberos quoque DEO, Parentibus, & Magistris morigeros, eorúmque observantes, ac omni Christianâ Virtute præstet conspicuos. Domesticos denique omnes omnibus procul rixis, altercationibus, jurgiis, in pace, concordia, & charitate convivere, mutuîs obsequîis invicem prævenire, bonîs exemplîs mutuò excitare, in castitate Christiana, animíque, ac corporis omnimodâ Puritate conversari, obscœnîs colloquiis, per-

juriîs, blaſphemiîs, atque omni linguæ vitiô abſtinere, imò à quolibet etiam alio Lethali crimine immunes eſſe à DEO exoret. Ut benedictio DEI in Domo iſta ſit ſemper, & ab inhabitantibus eam largiter uſque percipiatur.

Quòd, ſi Benedicta hæc Imago Agreſtibus in locis ad venerationem publicam proſtiterit, Benedictio Omnipotentis DEI ſuper totum illud extendatur Territorium, atque ab omni vicinia ſentiatur. Procul hinc locuſtarum examina, procul urédo, grando, fulgur, procul omnis noxia tempeſtas. Hìc augeſcant mineræ, fruges inſigni ubertate proveniant, vigeſcant ſilvæ, fructificent horti, & vineæ, vireſcant paſcua, fœcundentur aquæ, greges, & armenta pingueſcant. Ditentur cælitùs locorum Domini, diligantúrque à ſubditis, diligántque viciſſim ſubditos; ſpes ſuas impleri gaudeant Agricolæ, & omni omnes felicitate deſuper augeantur. Hæreticis tandem etiam, Schiſmaticis, Judæis, Ethnicis, & omnibus Chriſti inimicis ſit Icon iſta ſalutaris. Exhorreſcant ejus conſpectu, ſtimulis agantur conſcientiæ, reſipiſcant ab erroribus, & excitentur ad lucem veritatis. Ità intercedente S. JOANNE NEPOMUCENO faxit ter Sanctiſſima Trinitas, Trina Unitas, DEUS Pater, † & Filius, † & Spiritus Sanctus, †

℟. Amen.

Benedictio Panis S. HUBERTI.

NB. *Ut hæc ritè perficiatur, primò legitur, aut cantatur Epistola, qualis est, quæ sic exprimitur:*

Lectio Libri Regum. 3. *reg.* 17.

IN illo tempore: factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri Viduæ, ut pascat te. Surrexit, & abiit in Sarephta. Cùmque venisset ad portam Civitatis, apparuit ei mulier Vidua colligens ligna, & vocavit eam, dixítq ei: da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam. Cúmque pergeret, ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, & Buccellam panis in manu tua. Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisì quantum pugillus capere potest farinæ in Hydria, & paululum Olei in Lécytho, en colligo duo ligna ut ingrediar & faciam illud mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur. Ad quam Elias ait: noli timere, sed vade, & fac sicut dixisti: Veruntamen mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer ad me; tibi autem & filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus Deus Israël: Hydria farinæ non deficiet, nec Lécythus Olei minuetur, usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ. Quæ abiit, & fecit juxta verbum Eliæ: & comedit ipse, & illa, & domus ejus: & ex illa die Hydria farinæ non defecit, & Lécythus Olei non est imminutus; juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ.

Deinde legitur Responsorium. Respexit Elias ad Caput suum subcinericium panem : qui surgens comêdit & bibit: * Et ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et ambulavit. ℣. Gloria &c. Et ambulavit. &c. *Interim celebrans orat* : Munda cor meum &c. *& postea legitur aut cantatur Evang. hoc seq.*

Sequentia S. Evangelii secundùm Joannem. 6.

IN illo tempore : abiit Jesus trans Mare Galilææ, quod est Tiberiadis : & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Jesus & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, dies Festus Judæorum. Cùm sublevâsset ergo oculos Jesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum , dixit ad Philippum : Unde ememus panes , ut manducent hi ? hoc autem dicebat tentans eum : Ipse enim sciebat, quid esset facturus. Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis , ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex Discipulis ejus , Andreas frater Simonis Petri : est puer unus hìc , qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces , sed hæc quid sunt inter tantos ? Dixit ergo Jesus : facite homines discumbere, Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numerô quasi quinque millia. Accepit ergo Jesus panes : & cùm gratias egisset , distribuit discumbentibus : similiter & ex piscibus, quantum volebant. Ut autem impleti sunt , dixit discipulis : Colligite, quæ superaverunt, fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleverunt

runt duodecim Cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducaverant. Illi ergo homines, cùm vidissent, quod Jesus fecerat signum, dicebant, quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum. Jesus ergo cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. ℟. Laus tibi Christe.

℣. Dom. vobisc. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui benedixisti quinque panes in deserto, multiplica super fideles tuos misericordiam tuæ pietatis, quemadmodum fecisti cum Patribus nostris in misericordia tua sperantibus: bene†dicere & sancti†ficare digneris hanc creaturam panis, quem ad subsidium fidelium tuorum tribuisti, quatenus, à quocunque sumptus fuerit, benedictionis tuæ opulentiâ repleatur, & gratiarum actione per te in visceribus eorum sanctificetur. Per Christum Dom. nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui per potentiam tuam panem illum in forma visibili tribuisti, & magnitudine largitatis tuæ humanis usibus de segete emanare jussisti: te suppliciter exoramus, ut hunc panem, quem negligentia nostra polluit, sancti Spiritûs gratia ad munditiem revocet & sancti † ficet, mun † det & puri † ficet, & turpitudo callidi hostis abscedat, & familiæ tuæ deinceps comestibilis cum benedictione tribuatur, & mun-

mundentur comedentium corda, & ipſorum corpora per tuam gratiam ſanctificentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

PRecamur te Domine Deus & tuæ pietatis clementiam, ut panem iſtum cœleſti bene † dictione ſanctifices, & ita ex hoc fugare digneris omnem Diabolicæ fraudis incurſum, ut, quicunque ex hoc Pane comederit, totius virtutis & ſanctitatis dulcedine perfruatur, & tibi ſanctificatori & ſervatori omniumGratias cum gaudio & lætitia agere mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

TE igitur ſuppliciter deprecamur, ut bene†dicere & ſancti†ficare digneris hanc creaturam Panis, ut, quicunque ex eo guſtaverit, per interceſſionem dilecti tui HUBERTI Confeſſoris atque Pontificis conſequatur vitam æternam, & extingue ab omnibus dignè ſumentibus, ſi quid veneni, ſi quid mortiferæ operationis fuerit, & clementer eos defende. Per Chriſtum D. N. ℟. Amen.

Oremus.

DEus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus Verbô Cœli firmati ſunt, cui omnia ſubdita ſunt, cui omnis creatura deſervit & poteſtas ſubdita eſt, metuit & expaveſcit: Nos te ad auxilium provocamus, cujus auditô nomine Serpens antiquus conquieſcit, Draco fugit, ſilet Vipera, & omnia venenata, & adhuc fortia animalia vaſtantia, & noxia terrentur, & omnes adverſæ humanæ ſalutis Radices areſcunt; te igitur Domine ſuppliciter de-

pre-

precamur, ut bene ✝ dicere & sancti✝ficare digneris hanc creaturam Panis, ut, quisquis ex eo comederit, per intercessionem dilectissimi tui HUBERTI Confessoris tui atque Pontificis vitam æternam consequatur. Per D. N. J. C. Filium tuum, qui. &c. ℟. Amen.

Hymnus.

ISte Confessor Domini, colentes
Quem piè laudant populi per orbem,
Hac die lætus meruit supremos
Laudis honores.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobriam duxit sine labe vitam,
Donec humanos animavit Auræ
Spiritus artus.

Cujus ob præstans meritum frequenter
Ægra, quæ passim, jacuêre membra,
Viribus morbi domitis, saluti
restituuntur.

Noster hinc illi Chorus obsequentem
Concinit laudem, celebrésque Palmas;
Ut piis ejus precibus juvemur
omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cœli solio coruscans,
Totius mundi seriem gubernat
Trinus & unus. Amen.

℣. Ora pro nobis S. Huberte. ℟. Ut digni. &c.

Oremus.

DEus qui perennem gloriam S. Confessoris atque Pontificis tui HUBERTI animæ contulisti, tribue, quæsumus, ejus nos Patrociniis adjuvari, ut cum

cum eo vitam poſſideamus æternam. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui. &c. ℟. Amen.

Deinde incenſando & aſpergendo Panem dicat :

Bene†dictio Dei pleniſſima deſcendat ſuper hunc Panem, & omnes ex eo ſumentes, & maneat ſemper. In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † Sancti. Amen.

Benedictio Aquæ, Salis, & Panis.

Contra morſum rabidi Canis tam pro hominibus quàm Jumentis.

℣. Adjutorium. &c.

EXorcizo te creatura aquæ in nomine Pa † tris omnipotentis, & in nomine † Jeſu filii ejus, & in nomine Spiritûs † Sancti : ut omnis intoxicatio rabiei, & omnis Spiritus immundus, & incurſio Satanæ ſuperetur & expellatur ; & ut fias aqua exorcizata ad expellendum & effugandum rabiem, & venenum, intoxicationem ejus, & omnem morbum, tam hominum quàm pecorum, & invidiam malorum ſpirituum, atque omne phantaſma inimici, & ut ipſam intoxicationem rabiei, & ſtabiliter ipſum inimicum eradicare valeas per virtutem D. N. J. C. qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Exorcizo te creatura Salis per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, per Deum totius creaturæ : ut efficiaris ſal exorcizatum ad evacuandum & expellendum rabiem & intoxicationem ejus, inimicúmque & omnem virtutem putredinis ejus, atque etiam omnem morbum tam hominum quàm pecorum,

corum, quæ neceſſitatibus humanis dignatus es donare, ut poſſint ſalva ad uſus neceſſarios proficere, & homines ſalvati corpore & mente congruam tibi exhibeant ſervitutem, per virtutem D. N. J. C., per quem creata ſunt omnia, & perficiuntur univerſa, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Bene † dic Domine iſtam creaturam panis, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto; ut homines ſive animalia ex eo guſtantes accipiant ſanitatem corporis & animæ: per Chriſtum D. N. ℟. Amen.

Hic fiat Commixtio per modum Crucis

Hæc commixtio ſalis, panis & aquæ, pariter fiat in nomine † Patris, & † Filii, & ſpiritûs † Sancti, ut proſit tam hominibus quàm animalibus ad ſanitatem.

Poſtea dicatur:

Vox Domini ſuper aquas, Deus Majeſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas. Homines & Jumenta ſalvabis Domine, quemadmodum multiplicâſti miſericordiam tuam Deus. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Sequentia verba dic ſuper potum cum aſperſione benedictæ Aquæ.

Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.

Alia Benedictio Panis & Aquæ contra morbum rabidum.

℣. Adjutorium &c. ℣. Dom. vobiſc.

Oremus.

DOmine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus bene † dicere digneris hanc creaturam Panis & Aquæ tui S. HUBERTI ſpirituali benedictione, ut ſis

ſis omnibus in fide, reverentia & gratiarum actione ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra rabidum morſum omnéſque morbos & univerſas inimicorum inſidias cura, & vitæ perennis protectio; per eum, qui venturus eſt, judicare. &c.

BEne † dico te creatura Panis & Aquæ in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † Sancti. Per virtutem divinæ Paſſionis & Reſurrectionis à mortuis, & per merita Glorioſiſſimi Confeſſoris & Pontificis S. HUBERTI: ut in benedictionem aſſumaris contra omnes nequitias ſpiritales, adverſùs invaletudines & infirmitates membrorum, ut, quicunque ex te guſtaverint, ſis eis tutela mentis & corporis. Per Chriſtum D. N. ℟. Amen.

Bene†dic Domine creaturam iſtam Panis & Aquæ, ſicut benedixiſti quinque Panes in deſerto, ut ſit omnibus in fide &c. *ut ſupra.* *

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus; te rogamus, ut mittere digneris tuam divinam bene† dictionem, & medicinam cœleſtem ſuper hanc creaturam Panis & Aquæ, ut proficiat omnibus hominibus, ut ſanitas fiat eis contra rabidum morſum, & omnes morbos in corpore & in mente, in oculis, in manibus, in pedibus & in omnibus membris eorum, ut rabidus morbus eis nocere non poſſit, in riſu, viſu, guſtu, Cibô, potu, ſed Deus, qui es Salvator omnium, ſalvos eos facias ab omni periculo, ut det eis ſanitatem corporis & animæ; qui vivis & regnas. &c.

Aſpergatur.

Oremus.

DEus, qui S. HUBERTUM pium Confeſſorem tuum ad viam veritatis mirabiliter convertiſti, præſta,

præsta, quæsumus, ut sicut insensatos suis precibus pristinæ sanitati reddidisti, ita fac sensatos suô Patrociniô gubernari. Per Christum D. N.

O Radiosa Lampas supra candelabrum Ecclesiæ posita, O meritis præcipuus & sanguine clarus, inclyte Huberte; per tua Suffragia languentium suscipiens vota confer cunctis tibi devotis subsidia, ut per tua merita evadere valeant insanias, morbum & cuncta pericula corporis & animæ per æterna sæcula. Amen.

Instructio usûs Clavium S. Huberti.

CLavis S. Huberti, adinstar Cornu venatici formatæ, ad animalia contra rabiem præmunienda speciali benedictione, ejusdemq; Sancti Miraculosæ Stolæ contactu lustratæ, usus talis esto.

Ut primùm innotuerit animal aliquod ab alio quopiam rabie infecto læsum esse, hujusmodi animal antedictâ Clave candente ad vivam usque Carnem, in ipsius Vulneris cicatrice, si commodè fieri potest, sin autem, in fronte aduratur.

Dein per 5. aut 9 continuos dies (proùt suggerit devotio) recitatis ad honorem Dei, ejusque Sacratissimæ Matris, nec non S. HUBERTI *quinque Pater & Ave*, frustô Panis benedicti ante quodvis edulium pascatur.

Dixi autem, *ùt primum*: quia experientiâ teste potest nimia remedii dilatio discrimini obnoxia esse, ubi semel vis mortiferi morsûs, patientis penetralia venasq; pervaserit, ac propterea benè sibi suisque consulet, si pendente dictorum dierum intervallô, cùm suos Canes sic læsos, à venatu, cùm cætera animalia pariter affecta ab intemperato quocunque excessu prohibeat, ne fortè nimiâ agitatione aperti æstuantium pori, latenti veneno ansam præbeant serpendi.

Cæterùm potest & hoc adustionis remedium animalibus etiam non læsis ad præservationem adhiberi.

Sed ad præcavenda ejusmodi discrimina singulare remedium est, se suósque clientelæ S. HUBERTI, sub sacrâ ejus sodalitate adscribere. Proùt & Religioso apud plerosque in usu est,

(nec inani fructu, cassóve eventu) eidem DIVO vel censum aliquem annuum pro universis animalibus ad eos spectantibus, vel certè ex istis omnibus unum pro sua in eum devotione dicare.

Modus obeundi Novendiale Pro hominibus læsis à Canibus rabiosis.

1. Expiato peccata tua & sumito sacram Eucharistiam.
2. Solus dormito, idque vel in linteis recenter lotis, vel non depositis vestibus.
3. Solus bibito, idque puram Aquam.
4. Panem candidum edito.
5. Ova non nisi duriora edito, atq; frigida, sicut & Panis frigidus sit & potus.
6. Arborum fruges, ùt Pyra, nuces & acetosa ne gustes.
7. De benedictis 9. diebus tertiò comedat & bibat.
8. Oratio Dominica cum Salutatione Angelica recitetur 9. diebus.
9. A calidis abstineatur: & si brutum fuerit læsum, projiciatur in Aquam.
10. Vestes, si Canum dentibus ruptæ fuerint vel Sanguine aut spumâ conspersæ fuerint, trahantur per Aquam fluvialem, & exsiccentur.
11. Vulnus Butyrô inungatur.

NB. Num morsus Canis rabidi venenosus sit, inde dignoscendum erit: Sumito frustum Panis, eodemque inflictum Vulnus fricato: Panem dein projice Gallinæ; quæ si eô sumptô non pereat, morsus non erit venenosus.

Modus Exorcizandi, Benedicendi Aquam in Honorem nec non in memoriam S. P. N. Francisci & S. Antonii de Padua ad bibendum, lavandum, aspergendum contra Morbos, Dæmonis Vexationes, Maleficia, Corporis & Animæ infirmitates; Extractus partim ex flagello Dæmonum, partim ex process. Carmel, aliisque Libris.

NB. Aquam

NB. *Aquam benedicendam pone super Altare S. Antonii vel super aut ante Altare, in quo asservatur Ven. Sacramentum: & Stolâ indutus benedic, sicut solet benedici Aqua lustralis* pag. 1. *quô factô superadde sequentes Exorcismos & Benedictiones.*

Exorcismus.

EXorcizo te † aqua per illum, qui te creavit, & qui in te baptizari voluit, qui quatuor flumina de Paradiso exire jussit, & totam terram irrigare præcepit. Exorcizo te † aqua per Deum, qui te per suam potestatem in Cana Galilææ convertit in vinum. Exorcizo te per incarnationem Filii Dei, per ejus Nativitatem, Circumcisionem, per baptismum & Sanctum jejunium ejus, per Passionem, mortem & sepulturam ejus, per Resurrectionem & Ascensionem ejus, per adventum & gratiam Spiritûs sancti paracliti, per Beatam Mariam semper Virginem Matrem Domini nostri Jesu Christi, & per lac ejusdem Virginis Matris, & per omnes Angelos, Archangelos, Virtutes, Cherubim & Seraphim, per Sacramenta Ecclesiæ Catholicæ, per Augustissimum Sacramentum Eucharistiæ, per S. Joannem Baptistam, per omnes Sanctos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, per S. Patrem N. Seraphicum Franciscum, per Miraculosum S. Antonium de Padua, per omnes Sanctos Confessores, Virgines, viduas, & continentes Dei, & per virtutem omnium Sanctorum & Sanctarum ejus; ut in virtute Jesu Christi destruas omne opus nefarium Diaboli & Ministrorum ejus, omnésque incantationes, ligaturas, fascinationes, signaturas & facturas arte Diabolicâ factas, seu inventas contra famulos Dei NN. itâ, ut ad nihilum redigantur.

Et ſicut divina potentia exſpoliavit infernum, ita exſpoliare valeas illos ab omnibus facturis; & per te extinguantur, omnes ardores, labores & frigiditates, cæteráeque peſtilentiæ contra famulos Dei, in omnibus facturis, per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Exorciſmus 2.

ITem Exorcízo te Aqua per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † Sanctum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt, ut omnes virtutes Adverſarii, omnes exercitus Diaboli, omnes incurſus ejus, & omne phantaſma eradicentur, & fugiant à te, ut ſis Sancta & ſalutifera, & ignis ardens adverſùs omnes inſidias inimici; ut, quicunque te biberint, ſive guſtaverint, aut ſe laverint, vel aſperſerint, ſis eis ſanitas & medicina animæ & corporis: & in virtute Sanctiſſimæ Trinitatis effugiat omnis infirmitas; & omne opus nefarium Diaboli poteſtate tuâ ſeparetur, per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Initium S. Evangelii ſecundùm Joannem.
℟. Gloria tibi Domine.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſinè ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo Vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed

ut

ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri, sed ex Deo nati sunt. & *Verbum Caro factum est*, & habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis. ℟. Laus tibi Christe.

℣. Per Evangelica dicta extinguatur in te omnis virtus diabolica. ℟. Et infundatur virtus Divina. Amen.

Oremus.

BEnedicat te aqua † Deus Pater omnipotens, qui te suô verbô creavit, & det tibi contra omne malum & Maleficium omnem virtutem; ut, quicunque te devotè susceperint; gustaverint, aut se laverint, liberentur ab omnibus maleficiis, incantationibus, ligaturis, signaturis & facturis arte diabolicâ factis. Et per omnia attributa tua Domine Jesu Christe, sana cor & omnia membra famulorum tuorum N. N. & ipsos libera ab omnibus malis animæ & corporis, qui cum Patre & Spiritu S. vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Hic insuffla in Aquam dicendo:

Exsufflo te omnis legio Sathanæ in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † Sancti. Amen.

Exorcismus. 3.

EXorcizo te Aqua in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs Sancti, ne sis communis illi Spiritui immundo, ad honorem Sanctissimæ atque individuæ Trinitatis viventis & regnantis; ut, quicunque te biberint, gustaverint aut se laverint, omnis Spiritus immundus cum omnibus suis facturis ab eis recedat.

Item Exorcizo te † creatura Aquæ in nomine Jesu Christi Nazareni Filii Dei vivi, Regis & Judicis nostri, ut sis purgatio omnium Maleficiorum & incantationum factarum creaturis Dei NN. quas ipse ad imaginem & similitudinem suam creavit & ad baptismi gratiam vocare dignatus est.

Te ergo invoco Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut hanc Aquam exorcizare, & bene† dicere pro tua pietate digneris, ut omnis Spiritus immundus locum in ea ampliùs non habeat: sed virtute Spiritûs sancti omnes, qui biberint ex ea, recipiant sanitatem corporis & animæ, & ab omnibus spiritibus immundis & operibus eorum sanentur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DIgnare Domine Jesu Christe exorcizare & bene† dicere & sancti†ficare Aquam istam ad liberandum & sanandum famulos tuos NN. ab omnibus maleficiis, incantationibus, ligaturis, signaturis & facturis arte Diabolicâ factis, ut ad nihilum redigantur. Et sicut tuâ potentiâ infernum spoliâsti; ita eâdem exspoliare digneris famulos tuos ab omni Machinamento arte Diabolicâ facto, qui redemisti nos in manu forti & brachio extento, Domine Jesu Christe,

ut,

ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur, Per te Jesu Christe Salvator mundi. ℟. Amen.

Oremus.

TE igitur Domine Jesu Christe, qui es fons & Aqua sitientium in vitam æternam, suppliciter exoramus, ut hanc aquam bene✝dicere & exorcizare✝ tuâ pietate digneris in salutem, adjutorium & liberationem famulorum tuorum, & ipsos tueri ab omnibus maleficiis, incantationibus, & illusionibus Dæmonum & Ministrorum ejus, & ab ipsis potenter eos defendere digneris per virtutem tuam, de cujus latere fluxerunt Sanguis & Aqua in remedium & remissionem peccatorum nostrorum. Ita nos famuli tui, Domine, clementiam tuam, & nomen sanctum tuum imploramus, ut, quicunque ex hac aqua biberint, aut eâ se laverint, vel asperserint, vel devotè gustaverint, abluantur ab omnibus sordibus Dæmonum, & reddantur suæ incolumitati; nec eis in futurum habeat nocendi potentiam ipsa Dæmonum & Maleficiorum potestas, qui sanctus & pius es, permanens in sæcula sæculorum ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui es medicus Salutaris, ad te ferenda sunt jugiter obsequia nostra; tribue nobis tam mentis quàm corporis sanitatem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Adde sequentes orationes

Primò *Antiphona S. Bonaventuræ ad Seraphicum P. N. S. Franciscum.*

SAncte Francisce, Pater Dulcissime, nostræ mi-

litiæ Ductor fideliſſime, ora pro nobis Mariæ filium, ut per te det nobis refrigerium, qui te nobis miſit in ſæculum.

℣. Ora pro nobis B. Pater Franciſce

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte, qui B. Patri noſtro Franciſco fideli famulo tuo tantam gratiam conferre dignatus es, ut per Aquam Stigmatizatarum manuum ſuarum contactu, & ablutione ſanctificatam pecoribus aſperſam, peſtilentiam & infirmitates tolleret, bene†dic hanc creaturam Aquæ, & infunde ei virtutem ſanctificationis; ut, qui ex ea devotè ſumpſerint, loti, aut aſperſi fuerint, medicinalis Miſericordiæ tuæ aſſiſtentiam dulciter guſtare mereantur, intercedente eodem Beatô Patre noſtrô Franciſcô, in cujus carne prærogativâ mirabili Paſſionis tuæ ſacra ſtigmata renovâſti, qui vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

Secundò *Antiphona de S. Antonio Paduano.*

TOtus in te ſitiens, Deus ad te vigilans extitit de luce: tu fons indeficiens, tu lux illi rutilans, qui ſitis in Cruce.

℣. Ora pro nobis Beate Antoni

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

O Invictiſſime Leo de tribu Juda, Jeſu mitiſſime, qui es Rex Regum, tuorúmque gloria Sanctorum; in cujus magnifici nominis & Sanctæ Crucis virtute S. Antonius de Padua varias infirmitates, preſſuras, anguſtias, de corporibus animabúſque mortalium ſuſtulit: Te ſupplices rogamus per ejuſdem pro-

prodigiosi Confessoris tui merita & suffragia, ut huic Elemento Aquæ, Sancti nominis & salutiferæ Crucis suæ virtutem infundas: ut iis prosit ad corporis & animæ salutem, qui per ejus sumptionem, aspersionem aut lotionem, tuam sanctam exorant benedictionem; qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde faciat sequentes benedictiones super Aquam, quæ per intentionem diriguntur ad homines, qui utentur Aquâ istâ.

Benedictio S. P. N. Francisci ùt supra pag. 54.
Benedictio S. Antonii Pad. ùt supra pag. ibid.

NB. *Miraculum hujus Aquæ contigit in terra Rieti, vide Chron.* 1. *p.* 2. *lib. C.* 58. *de Aqua sic sanctificata per tactum manuum S. Francisci lotarum per eam ex divina revelatione.*

Benedictio Aquæ in Honorem

S. Quirini Martyris Novesii quiescentis. In hac verò benedictione dicatur post præmissa superiùs usq; ad Antiph. S. Bonav.

Antiphona. Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem; & à Verbis impiorum non timuit; fundatus enim erat supra firmam petram.

℣. Gloriâ & honore coronâsti eum Domine
℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.
℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ & intellectûs
℟. Et aquâ sapientiæ salutaris potavit illum.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui B. Quirinum Martyrem tuum in Passione sua, & pœnosa membrorum suorum vivorum successivâ amputatione virtute constantiæ roborâsti: Rogamus te per viscera Misericordiæ tuæ, pérque hujus Sancti merita; ut huic elemento Aquæ virtutem tuæ bene✝dictionis infundas, eámque omnes experiri sinas, qui cum reverentia & deprecatione nominis tui, & veneratione hujus Sancti, eâ fuerint poti, loti vel aspersi. Qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui dixisti ore tuo sancto benedicto: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui est in Cœlis*: te supplices rogamus, da honorem nominis tui, & virtutem verbo promissionis tuæ, & divinâ bene✝dictione tuâ sanctifica hanc aquam, eique assiste Majestatis tuæ potentiâ, ut ejus aspersione, lotione, sumptione fugetur inimicus, cedat morbus, fugiat omne venenum, & malum ab animabus, corporibúsque sive hominum sive pecorum; honorificerísque tu Deus omnipotens in sancto Martyre tuo Quirino, per cujus Passionis merita id suppliciter poscimus; qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Benedictio Aquæ in Honorem S. ALBERTI fiat uti supra cum hac Antiphona.

O Alberte, Norma munditiæ, puritatis & continentiæ, ora Matrem misericordiæ, ut in hac valle miseriæ nos defendat à pravo scelere, ut exuto mortali corpore perfruamur æternâ requie.

℣. Ora

℣. Ora pro nobis Beate Alberte
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

COncede quæsumus, omnipotens & misericors Deus, ut per virtutem bene✝dictonis tuæ, & per meritum Passionis Domini nostri Jesu Christi, & per intercessionem B. Mariæ Virginis, & B. Alberti & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, aqua hæc virtutem cœlestem accipiat, ut omnes fideles, qui piè & devotè aquam istam gustaverint, & animæ & corporis sanitatem recipiant, & in tuo sancto servitio semper permanere valeant. Per Dominum nostrum Jesum Christum. &c. ℟. Amen.

Benedictio orationum alicujus SANCTI.

℣. Adjutorium. ℟. Qui fecit. &c. ℣. Dominus &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, bene✝dicere & sancti✝ficare tuâ pietate digneris has orationes scriptas in tui nominis honorem, beatæ Virginis Mariæ genitricis tuæ ac Beati N. ut, qui eîs usi fuerint, vel apud se portaverint, meritîs ac precibûs ejusdem Beati N. salutem animæ & corporis à te recipere mereantur. Qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

---

§. 6.

DE BENEDICTIONIBUS

Quibus utitur Ecclesia certis anni temporibus.

Benedictio Vini, quod dicitur Amor S. Joannis in Festo ejusdem S. Apostoli & Evangelistæ.

℣. Adjutorium &c. ℟. Qui fecit. &c.

℣. ✝Ini-

℣. † Initium S. Evangelii secundùm Joannem. c. 1.
℟. Gloria tibi Domine.
In principio erat Verbum &c. *vid. pag.* 84.
Ps. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit.

Deduxit me super semitas Justitiæ: propter nomen suum.

Nam, etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

Parâsti in conspectu meo mensam: adversùs eos, qui tribulant me.

Impinguâsti in oleo caput meum: & calix meus inebrians; quàm præclarus est?

Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

Gloria Patri &c. Kyrie. &c. *Pater noster.*
℣. Salvos fac fideles tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.
℟. à facie inimici.
℣. Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.
℟. Beatus vir, qui sperat in eo.
℣. Et si mortiferum quid biberint.
℟. Non eis nocebit.
℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dom. vob. &c.

Oremus.

DEus, & Pater D. N. Jesu Christi, cujus imperiô cœli firmati sunt; cui omnis creatura deservit, & om-

&omnis poteſtas ſubjecta eſt, metuit & expaveſcit: nos te in auxilium noſtrum invocamus, cujus auditô nomine ſerpens conquieſcit, Draco fugit; Vipera ſilet, & ſubdola illa, quæ dicitur rana, inquieta torpeſcit, ſcorpio extinguitur, regulus vincitur, ſqualangus nihil noxium operatur, & omnia venenata & adhuc fortiora animalia noxia terrentur. Tu Domine extingue omnes Diabolicas fraudes & omnes humano generi adverſantes nequitias, & hunc liquorem vini per interceſſionem S. Joannis Evangeliſtæ tuâ virtute bene†dicito; & omnes ex hoc guſtantes, meritîs & precibûs Sanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ & omnium Sanctorum tuorum intervenientibûs, ab omni malo cuſtodias, & ad regnum gloriæ tuæ perducas. Per Dom. &c.

Oremus.

DEus, qui mirabili potentiâ vinum producis ex vite, ut inde exhilaretur cor hominis: qui mirabiliori potentiâ in Cana Galilææ ad bibendum Nuptiali populo aquam convertiſti in vinum; quíque mirabiliſſimâ potentiâ per manus Sacerdotum Elementum vini quotidie in Sacratiſſimum tuum transformas Sanguinem. Deus, cujus poteſtate Joannes Evang. veneno ſi potûs digeſſit toxicum, bene†dicere dignare hanc creaturam vini, ut omnes ex eo guſtantes expulſô totô genere nocivô & infuſô tuæ bene†dictionis Myſteriô in anima & corpore mereantur miſericorditer exhilarari. Per. D. N. J. C. &c.

Oremus.

BEati Joannis Evangeliſtæ, quæſumus Domine, ſupplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia concede. Per Dom. N. &c.

Et benedictio Dei Pa†tris omnipotentis, & Fi†lii, & Spiritûs † Sancti descendat super hunc liquorem vini & maneat semper, Amen.

Aspergatur & thurificetur. Deinde Sacerdos tradens populo ad bibendum dicat: Bibite amorem S. Joannis in nomine Patris & Filii & Spiritûs S. Amen.

Benedictio Auri, Thuris & Myrrhæ.

In Epiphania Domini, super se ferenda contra omnia nocumenta Diabolica, & Maleficia; Dæmones incubos, succubos, insultusque Maleficarum. Qui Aurum non habet, curet benedici nummum argenteum.

℣. Adjutorium. &c. ℟. Qui fecit. &c.

Ps. 53. Deus in nomine tuo. &c. *ex prima.*

Ps. 71. Deus judicium tuum. &c. *ut fer.* 5. *ad matut.*

Ps. 66 Deus misereatur. &c. *Ad Laudes.*

Antiph. Apertis thesauris suis, obtulerunt Magi Domino, aurum, Thus & Myrrham. Kyrie eleyson. Christe. &c. *Pater noster.*

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine Exaudi, &c. ℣. Dominus Vobisc. &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, te humiliter deprecamur, ut has creaturas auri, Thuris & Myrrhæ, hodiernâ die à Tribus Regibus tibi tanquam summo Regi, & Deo vero, & homini vero oblatas, bene†dicere, conse†crare, & sancti†ficare, & eis donum tuæ benedictionis tàm benignè infundere dig-

digneris; ut, quicunque eas geſtaverit, vel iisdem fumigatus fuerit, ab omni periculo animæ & corporis ſalvus ſemper exiſtat. Qui cum Patre & Spiritu S. vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, qui nobis Sacerdotibus, non noſtrîs meritîs, ſed ſolâ dignatione clementiæ tuæ præ cæteris gratiam contuliſti, ut, quidquid à nobis in tuo nomine dignè & perfectè agitur, à te fieri credatur. Adeſto, quæſumus, noſtræ officio ſervitutis, & bene † dicere ac ſancti † ficare digneris has creaturas auri, Thuris & Myrrhæ, quas in nomine ſancto gloriæ tuæ bene † dicere confidimus. Qui vivis & regnas. &c. Amen.

Oremus.

BEne † dico itaque in titulum omnipotentiæ, & ſpem ſalutis fidelium has creaturas Auri, Thuris & Myrrhæ, in nomine Patris † & Filii †, & Spiritûs † S. ut, ſicut beatos tres Magos *Caſpar*, *Balthaſar*, & *Melchior* eas offerentes ad myſteria tua cognoſcenda illuminare, & ad te devotè adorandum accedere, atque ab inſidiis & periculis cuſtodire dignatus es, ita fideles tuos in tua miſericordia ſperantes, qui eisdem creaturîs tuîs, aurô, thure & myrrhâ in tuo nomine uſi fuerint, lumine tuo illuſtrare, amore tuo inflammare & à cunctis adverſitatibus, & ab omnibus inſidiis & nocumentis diabolicis præſervare digneris. Qui cum eodem Deo Patre, &c.

Aſpergantur.

Bene-

Benedictio Candelarum Extra diem Purificationis B. M. V.

℣. Adjutorium, &c. ℣. Dominus vobiscum. &c.

Oremus.

DOmine JEsu Christe fili Dei vivi, bene†dic Candelas istas supplicationibus nostris, & infunde eis Domine per virtutem sanctæ Cru†cis benedictionem cœlestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti: talémque benedictionem signaculô sanctæ Cru†cis accipiant, ut, quibuscunque in locis accensæ, sive positæ fuerint, discedant Principes tenebrarum, & contremiscant, & fugiant pavidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis: nec præsumant ampliùs inquietare, aut molestare servientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen. *Aspergantur.*

Benedictio Candelarum in Festo S. Blasii Episcopi & Mart. contra morbum Gutturis.

℣. Adjutorium. &c. ℣. Dom. vobisc.

Oremus.

OMnipotens & mitissime Deus, qui omnium mundi rerum diversitates solô verbô creâsti, & ad hominum reformationem illud idem verbum, per quod facta sunt omnia, incarnari voluisti: qui magnus es & immensus, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia: pro cujus fidei defensione gloriosus Martyr & Pontifex Blasius diversorum tormentorum genera non pavescens, Martyrii palmam feliciter est adep-

adeptus. Cui inter cæteras gratias hanc prærogativam contulisti, ut quoscunque gutturis morbos tuâ virtute curaret: majestatem tuam suppliciter exoramus, ut non intuitu nostri reatûs, sed ejus placatus meritîs & precibûs, hanc creaturam candelæ bene ✝ dicere & sancti ✝ ficare tuâ venerabili pietate digneris, tuam gratiam infundendo, ut omnes, quorum colla per eam ex bona fide tacta fuerint, à quocunque gutturis morbo ipsius passionis meritîs liberentur, & in Ecclesia sancta tua sani, & hilares tibi gratiarum referant actiones: & laudent nomen tuum gloriosum, quod est benedictum in sæcula. Per eundem Dom.

Aspergat eas aquâ benedictâ, & decussatim junctîs tangens singulorum colla dicat:

Per intercessionem S. Blasii Episcopi & Martyris liberet & præservet te Dominus à malo gutturis. In nomine Patris. &c.

Benedictio Schedularum in Festo S. Agathæ.

Priùs scribantur super parvas Schedulas sequentia verba.

Mentem sanctam ✝ spontaneam ✝ honorem Deo ✝ patriæ liberationem.

℣. Adjut. &c. ℣. Sit nomen Dom. &c.
℣. Domine exaudi &c. ℣. Dominus vobis. &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui meritîs B. Agathæ Virg. & Martyris tuæ apparitione Angelicâ tabulam marmoream hoc versiculô inscriptam (*mentem Sanctam, spontaneam, honorem Deo, patriæ liberationem*) ad caput ejusdem Virg. & M. tuæ posu-

posuisti, quam populus paganus contra irrumpentem ignem adhibuit, eúmque fugavit, & illæsus permansit: dignare per tuam clementiam & gratiam bene†dicere & sancti†ficare has, eodem versiculô insignitas schedulas: & concede propitius, ut populus tuus fidelis precibus & intercessione ejusdem Virg. & M. tuæ Agathæ fugare possit, & fugere nocumentum omne, & periculum non solùm ignis temporalis, sed etiam ignis æternalis. Et in quocunque loco affixæ fuerint hæ benedictæ & signô sanctæ Crucis†tuæ insignitæ schedulæ, eundem ab omni incendio præservent: ubi verò in noxiam flammam injectæ fuerint, ibidem per altissimam potentiam tuam, & per merita Sanctissimæ Agathæ sponsæ tuæ flammam omnem dissipent, noxiúmque incendium prorsus disperdant. Per Dominum. &c.

Antiph. Paganorum multitudo fugiens ad sepulchrum Virginis, tulerunt velum ejus contra ignem, ut comprobaret Dominus, quòd à periculis incendii meritîs B. Agathæ Mart. suæ eos liberaret.

℣. Ora pro nobis B. Agatha.

℟. Ut digni efficiamur præservari à periculis ignium.

Oremus.

DEus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam Martyrii contulisti, concede propitius, ut, qui B. Agathæ V. & M. tuæ natalitia colimus, ejus meritis & precibus à periculis ignium, & à gehennæ incendiis liberemur. Per D. &c.

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † S. & intercessio B. Agathæ V. & M. descendat super has schedulas, & maneat semper. Amen.

Aspergantur & thurificentur.

Hæ

NB. *Hæ schedulæ super liminaria affigantur, & tempore incendii alligatæ lapidi bonâ fide in ignem projiciantur.*

Benedictio Panis in Cœna Domini.

℣. Adjutorium. &c. ℣. Sit nom. &c.
℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dominus vobis. &c.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, Panis vive, qui de Cœlo descendisti, & das vitam æternam, bene✝dicere dignare Panes istos, ut omnes ex eis gustantes, corporis & animæ percipiant sanitatem. Qui vivis. &c.

Lectio Libri Levitici. *c.* 23.

IN diebus illis; dixit Dominus ad Moysen: Mense primô, quartâ decimâ die Mensis ad Vesperam Phase Domini est: Et quintâ decimâ die Mensis hujus Solemnitas Azymorum Domini est: Septem diebus Azyma comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus, Sanctúsque; omne opus servile non facietis in eo, sed offeretis Sacrificium in igne Domino septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior & sanctior, nullúmque opus servile facietis in eo. Et libamenta offerentur in eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleô in incensum Domini odorémque suavissimum. Panem & polentam, & pultes non comedetis ex segete usque ad diem, quâ offeretis ex eo Deo vestro. ℟. *Deo gratias.*

Resp. Dixerunt: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? nunquid & Panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? & mandavit nubibus

bus desuper, & januas Cœli aperuit. Et pluit illis Manna ad manducandum, & Panem Cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo: Cibaria misit illis in abundantia. Et manducaverunt, & saturati sunt nimìs: Desiderium eorum attulit eis.

℣. Dñus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam. c. 22.

IN illo tempore: cùm facta esset hora, discubuit Jesus, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: Desideriô desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et acceptô Calice gratias egit, & dixit: accipite & dividite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et acceptô Pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est Calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. ℟. *Laus tibi Christe.*

Exorcismus.

EXorcizo te creatura Panis per eum, qui benedixit quinque Panes in deserto, & dedit Manna Patribus nostris in eremo, omne delectamentum in se habens, & omnem saporem suavitatis; ut sis fortitudo, & sanitas, & Purificatio omnibus ex te sumentibus: ad effugandos omnes Spiritus immundos, omnémque nefariam vim Diaboli. Per eum, qui venturus est judicare. &c.

Ore-

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte, fili Dei vivi, qui hodiernâ die Panem non ſolùm benedixiſti, ſed etiam in verum corpus tuum convertiſti: hos Panes, quos famuli tui in memoriam Sacratiſſimæ Cœnæ tuæ benedicendos attulerunt, tuâ omnipotentiâ bene†dicere & ſancti†ficare, atque eis tantam virtutem infundere digneris, ut, quicunque ex eis cum devotione ſumpſerint, corporis & animæ ſanitatem percipiant, à tentationibus Diaboli liberentur, atque in bono tuâ virtute ſtabiliantur. Qui vivis. &c.

Oremus.

DOmine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene†dicere digneris hos Panes tuâ ſanctâ ſpirituali bene†dictione; ut ſint omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & univerſas inimicorum inſidias tutamen. Per D. N. J. C. Filium tuum, Panem vivum, qui de Cœlo deſcendit, & dat vitam & ſalutem mundo, & tecum vivit & regnat. &c: *Aſpergatur.*

Benedictio Domorum in Sabbatho S. Paſchæ.

Domum ingrediens mox dicit : Pax huic Domini & omnibus habitantibus in ea. ***Deinde aſpergens loca præcipua Domûs, & eos qui habitant in ea, dicit Ant.*** Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro. *Alleluja.* Et omnes, ad quos pervênit aqua iſta, ſalvi facti ſunt, *alleluja, alleluja.*

Pſ 117. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. ***Gloria Patri.*** &c. & ***repetitur.*** Vidi aquam. &c.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, allel.
℟. Et salutare tuum da nobis, alleluja.
℣. Dñe exaudi. &c. ℣. Dñus vob. &c.

Oremus.

EXaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & sicut domos Hebræorum in exitu de Ægypto agni Sanguine linitas (quod Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, figurabat) ab Angelo percutiente custodîsti; ita mittere digneris S. Angelum de Cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eundem C. D. N. ℟. Amen.

Benedictiones in Pascha,

Agni Paschalis.

℣. Adjutorium. &c. ℣. Dominus. &c.

Oremus.

DEus, qui per famulum Moysen in liberatione populi tui de Ægypto agnum occidi jussisti in similitudinem D. N. Jesu Christi, & utrosque postes domorum de Sanguine hujus Agni perungi præcepisti: ita bene†dicere & sancti†ficare digneris hanc creaturam Carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per Resurrectionem D. N. Jesu Christi. Qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Carnium Diversarum.

Oremus.

DEus, qui per Resurrectionem filii tui Paschalia nobis gaudia contulisti; auge & sancti†fica collecta nobis hæc dona carnium de tua largitate, mentésque

nostras

nostras pariter & corpora spiritualibus reple deliciis. Per eundem Christum D. N. ℞. Amen.

Ovorum.

Oremus.

SUbveniat, quæsumus Domine, tuæ bene†dictionis gratia huic ovorum creaturæ, de qua pullos gallinarum procreare dignatus es, ut cibus salubris fiat fidelibus tuis in gratiarum actione sumentibus, ob Resurrectionem D. N. JEsu Christi, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. ℞. Amen.

Panis.

Oremus.

DOmine JEsu Christe, panis Angelorum, panis vivus æternæ vitæ, bene†dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto: ut omnes ex eo gustantes, inde corporis & animæ percipiant sanitatem. Qui vivis & reg. &c. ℞. Amen.

Salis.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, creator omnis creaturæ, cujus providentia liquentes aquas in hanc materiam solidavit, ut humanis usibus famuletur: da nobis, quæsumus, ut creatura salis sit depulsio Diabolicæ † malignitatis, & reparatio animæ & corporis. Per Christum D. N. ℞. Amen.

Aspergantur.

NB. *Si adsint plures aliæ species, harum benedictiones reperies* §. 7. *seq.*

Benedictio Herbarum primâ Maji, vel aliâ quâcunque die.

℣. Adjutorium. &c. ℣. Dominus vobiscum. &c.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui dixisti: *Germinet terra Herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum*; dignare has herbas, quas ipsemet creâsti, & in usum humanum è terra germinare fecisti, ore tuo proprio & dexterâ tuâ sanctâ bene † dicere, & omnibus inde sumentibus ad corporis & animæ medelam utiles efficere; propter nomen S. tuum magnum & glorificatum in cœlo & in terra pone dexteram tuam plenam largâ benedictione super has herbas, & reple eas cunctis benedictionibus, proût ego N. Sacerdos tuus in nomine S. tuo Tetragrammaton in gloriam laudis tuæ eas exorcizo, † benedico, † sanctifico †, ut, quicunque de iis sumpserit, vel super iis biberit, vel ex his fumigatus fuerit, vel in Balneo lotus, vel in quibuscunque deníque locis fuerint collocatæ, per omnipotentiam tuam & passionem filii tui & D. N. JEsu Christi elongetur ab eo omne malum, omne periculum, omne phantasma & omne opus diaboli. Idcirco per te Deum omnipotentem, qui das herbas servituti hominum, has creaturas Herbarum virtute Ordinis Sacerdotalis bene † dico & sancti † fico ad fugandos Dæmones, ad destruendum omne maleficium, & ad annihilandum quodvis dæmonis opus nefarium, factum vel faciendum: Ita, ut iis utentes, in quemcunque usum eas reverenter assumpserint, in virtute

super-

supernæ bene † dictionis tuæ accipiant tàm corporis quàm animæ sanitatem. Quod ipse præstare digneris, qui vivis. &c. ℟. Amen.

Alia Oratio.

DEus, qui herbis ad sanandum varia medicamentorum genera indidisti; eísque salubres non solùm ad necessitates animalium, verùm etiam ad sananda humani generis corpora, remedia saluberrima esse effecisti: hanc Herbarum Collectionem bene † dicito dexterâ tuâ; ut omnes, in quemcunque usum redegerint, suum inde optatum consequantur effectum. In Nomine Patris † & Filii † & spiritûs † S. ℟. Amen. *Aspergantur.*

Benedictio Liliorum in festo S. Antonii de Padua vel aliâ die.

℣. Adjutorium. ℣. Dominus vobiscum. &c.

Oremus.

DEus creator & conservator generis humani, candidæ puritatis amator; dator gratiæ spiritualis, & largitor æternæ salutis: bene † dictione tuâ sanctâ benedic hæc lilia, quæ pro gratiis exsolvendis in honorem S. Antonii Confessoris tui supplices hodie tibi præsentamus, & pro nostra salute, & incolumitate petimus benedici; infunde eis salutarî signaculô sanctissimæ Crucis † rorem cœlestem. Tu benignissime, qui ea in odoris suavitatem ad expellendas infirmitates humano usui tribuisti, tali virtute decóra, reple, confirma, ut, quibuscunque morbis apposita, seu in domibus, locísque posita, vel à quovis cum devotione secum portata fuerint, languores fugentur

Diaboli contremiſcant, & recedant pavidi cum ſuis Miniſtris de habitationibus illis, nec unquam tibi ſervientes inquietare præſumant; eodem famulô tuô Miraculosô ac gloriosô pro nobis intercedente: per Dominum Deum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde flexis genibus dicatur ſeq. Reſponſ.

SI quæris Miracula; Mors, Error, Calamitas, Dæmon, lepra fugiunt, ægri ſurgunt ſani. Cedunt mare, vincula, membra, réſque perditas petunt & accipiunt juvenes & Cani. Pereunt pericula, ceſſat & neceſſitas, narrent hi, qui ſentiunt, dicant Paduani. Cedunt mare. &c. Gloria Patri. &c. Cedunt mare, &c. Ora pro nobis S. Antoni. ℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

MItiſſime ac Clementiſſime JEſu, qui B. Antonium Confeſſorem tuum perpetuis illuſtras Miraculorum ſplendoribus, concede propitius, ut, quæ per ejus merita fideliter petimus; per ejus interceſſionem efficaciter conſequamur. Qui vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Aſpergantur.

NB. *Præfato Reſponſorio præmittatur hæc ejusdem S. Antonii benedictio*: Ecce crucem † Domini, fugite partes adverſæ, vicit leo de tribu Juda, Radix David, qui miſereatur & benedicat nobis. Amen. *Eſtque ſic oratio exquiſita pro re perditâ recuperandâ.*

Benedictio Herbarum in Feſto Aſſump. B Mariæ V.

℣. Adjutorium. &c. ℣. Dominus vob. &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui cœlum & terram,

ram, mare cunctáque visibilia & invisibilia verbô tuô creâsti ex nihilo; quíque herbas & arbores ad usus hominum animaliúmque terram gignere, & unumquodque sementem in semetipso habere præcepisti: atque ut herbæ non solùm animantibus ad victum, verùm etiam ægris corporibus prodessent ad medicamentum, tuâ ineffabili pietate concessisti: te supplici mente & ore deprecamur, ut has herbas diversi generis tuâ clementiâ bene † dicas, salubres non solùm ad necessitates hominum, verùm etiam animalium facere digneris; ut, quicunque ex eis in hac venerabili solemnitate S. Mariæ sumpserint, vel in quemcunque usum redactæ fuerint & assumptæ, accipiant tàm corporis quàm animæ sanitatem, quod ipse præstare digneris, qui vivis & regnas cum Deo Patre. &c. Amen.

Alia Oratio.

Si nimirum allatis fasciculis inserti sint fructus novi.

DEus, qui per Moysen famulum tuum mandâsti filiis Israel, ut manipulos novorum fructuum benedicendos deferrent ad Sacerdotes, tollerentque fructus arboris pulcherrimæ, & lætentur coram te Domino Deo suo: adesto propitius invocationibus nostris, & infunde tuæ bene † dictionis abundantiam super nos, & super manipulos novarum frugum, uvarum, Herbarum & fructuum collectionem, quæ cum gratiarum actione tibi præsentamus, & in nomine tuo in hac solemnitate bene † dicimus, & concede; ut hominibus, pecoribus, pecudibus & jumentis contra morbos, pestes, ulcera, maleficia, incantationes, veneficia, serpentum & aliorum venenosorum animalium & bestiarum morsus, nec non quæcun-

cunque venena remedium præſtent ; atque contra diabolicas illuſiones, machinationes & fraudes tutamen ferant : in quocunque loco poſitum, vel portatum, aut habitum aliquid ex eis fuerit ; quatenus cum manipulis bonorum operum, meritîs B. Mariæ V. cujus Aſſumptionis Feſtum colimus, quô ipſa aſſumpta eſt, ſuſcipi mereamur. Per D. N. J. C. &c. ℟. Amen. *Aſpergantur.*

Benedictio Seminum Dominicâ Primâ Septembris.

Afferat unusquisque Agricolarum modium frumenti ſeminandi, quod Sacerdos ante Sacrum indutus Albâ benedicat hoc modo :

℣. Adjutorium. &c. ℟. Qui fecit. &c.
Pſ. ex fer. 3. ad Veſp. In convertendo. &c.

Lectio Libri Levitici. *c.* 26.

IN diebus illis dicit Dominus ad Moyſen : Loquere Filiis Iſrael, & dices ad eos : Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis ; dabo vobis pluvias temporibus ſuis, terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem : Et comedetis Panem veſtrum in ſaturitate, & absque pavore habitabitis in terra veſtra. Dabo pacem in finibus veſtris, dormietis, & non erit, qui exterreat. Auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit terminos veſtros. Reſpiciam vos, & creſcere faciam, multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiſcum. Comedetis vetuſtiſſima veterum, & vetera novîs ſupervenientibûs projicietis. Ponam taber-

tabernaculum meum in medio veſtri, & non abjiciet vos anima mea. ℟. *Deo gratias.*

℣. Manè ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua: quia neſcis, quid magìs oriatur hoc aut illud: & utrumque ſimul, melius erit.

℣. Dn̄us vob. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Sequentia S. Evangelii ſecundùm Marcum. *c.* 4.

IN illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Simile eſt regnum cœlorum, quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & ſemen germinet, & increſcat, dum neſcit ille. Ultrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Et cùm produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis. ℟. *Laus tibi Chriſte.*

Per Evangelica dicta ſint hæc ſemina bene†dicta.

℣. Dom. vob. &c. ℟. Et cum ſpir. &c.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te ſuppliciter rogamus ac petimus, ut hos fructus ſegetum ſerenis oculis hilaríque vultu reſpicere, & tuâ dexterâ ſanctâ bene†dicere digneris. Et ſicut teſtatus es Moyſi famulo tuo in deſerto dicens: *Dic Filiis Iſraël, cùm ingreſſi fueritis in terram promiſſionis, quam ego dabo vobis, afferetis primitias frugum veſtrarum Sacerdotibus, & erunt bene†dicta:* Sic & nos rogamus te Domine, ut per auxilium miſericordiæ tuæ bene†dictionem tuam ſuper hæc diverſi generis ſemina, quæ à fidelibus tuis nobis Miniſtris tuis benedicenda ante conſpectum tuum, in templo ſancto tuo hodiernâ die præſentata ſunt, pro-

proferre digneris, ut virtute bene†dictionis tuæ germinent, crescant, multiplicentur, & ad optatam maturitatem perveniant. Da, quæsumus Domine, ut eadem grando non subruat, nec turbo subvertat, nec inundatio exterminet, nec ulla bestia consumat: sed propter misericordiam tuam ad usum nostrum salva permaneant, & ad abundantem fertilitatem, plenissimámque maturitatem perveniant. Per. D. N. &c.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, fili Dei vivi, qui proprio ore tuo dixisti: ***Pater meus agricola est***; atque temetipsum sæpius homini seminatori comparare voluisti: adesto propitius precibus nostris, & super hæc diversi generis semina, atque super omnes alias segetes, quibus hæc commixta fuerint, nec non super agros, super quos hæc fuerint seminata, largam tuam bene†dictionem infunde: atque ab eis omnem vim procellarum, omnéque nocumentum bestiarum gratiâ tuæ defensionis clementer averte, ut omnis fructus ex his seminibus natus tuâ bene†dictione repleatur, & in horrea sinè damno & impedimento congregetur. Qui vivis. &c.

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † S. descendat super hæc semina, & maneat semper. Amen. ***Aspergantur.***

---

§. 7.

DE BENEDICTIONIBUS Ciborum, potûs, fructuum, Cæterarúmque id genus creaturarum.

Benedictio Lardi.

℣. Adjutorium. ℣. Domine exaud. ℣. Dominus vobiscum. &c. ***Et sic semper.*** ***NB. Est***

NB. Est incheoandum in omnibus seqq. & in fine aspersio aqua benedicta.

Oremus.

OMnipotens & misericors Deus, qui necessitatem humani generis prævidens, clementer adminicula temporalia contulisti: te humiliter imploramus; ut bene†dicere digneris hoc Lardum famulorum tuorum, ut, quæ hìc tua misericordia piè contulit, nostrô meritô non depereant. Per Dominum, &c. ℟. Amen.

Benedictio avium aliorúmve Volatilium.

Oremus.

DEus universæ creaturæ, qui inter cæteras diversarum creaturarum species, & pro humani generis usu etiam volatilium genus ex aqua producere dignatus ès, ex quibus Noë de arca egrediens, holocausta tibi offerens, placuit; & qui populo tuo ex Ægypto educto per Moysen servum tuum munda ab immundis segregans edendi præceptum dedisti: te supplices rogamus, ut has mundarum avium carnes bene† dicere & sancti† ficare digneris, ut, quicunque ex eis comederint, benedictionis tuæ abundantiâ repleantur, & ad æternæ vitæ gaudia pervenire mereantur. Per Christum D. N. ℟. Amen.

Benedictio Butyri, vel etiam Lacticiniorum.

Oremus.

DIgnare Domine, quæsumus, omnipotens bene† dicere & sancti† ficare hanc creaturam Butyri (*quoad lacticinia adde* Butyri, lactis. &c.) quam ex adipe

adipe animalium producere dignatus es; ut, quicunque ex populis tuis fidelibus ex ea comederint, omni benedictione cœlesti, & gratiæ tuæ ſaturitate repleantur in bonis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Benedictio Caſei.

Oremus.

CReator & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, largitor æternæ ſalutis; tu Domine emitte Spiritum S. ſuper hanc creaturam Caſei, ut armata virtute cœleſtis † defenſionis, qui ex eo guſtaverint, proficiat illis ad ſalutem æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Benedictio Caſei confecti ex Lacte & Ovis.

Oremus.

DIgnare, quæſumus, omnipotens Deus bene † dicere & ſancti † ficare creaturam hujus Caſei, quam ex Ovis & Lacte animalium producere dignatus es: & concede propitius, ut, quicunque ex eo ſumpſerint, omni benedictione cœleſti & gratiâ repleantur in bonis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Benedictio Arborum.

Oremus.

DEus, qui hujus arboris plantam tuâ viſitatione, & tuâ providentiâ protectam eſſe voluiſti: nunc etiam eandem bene † dicere & ſancti † ficare digneris, ut, quicunque ex ejus fructibus ſumpſerint, ſani & incolumes eſſe valeant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Bene-

Benedictio novorum Fructuum.

Oremus.

BEne † dic Domine hos novos fructus N. & præſta, ut, qui ex eis in tuo ſancto nomine veſcentur, corporis & animæ ſalute potiantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Benedictio Pomorum.

Oremus.

TE Domine deprecamur, omnipotens æterne Deus, ut bene † dicas hunc fructum novum pomorum: ut, qui eſu interdictæ arboris pomi in Protoplaſto parente juſti funeris ſententiâ mulctati ſumus, per illuſtrationem unici filii tui Redemptoris, Dei ac Domini noſtri, & S. Spiritûs benedictione ſanctificata omnia atque benedicta, depulsîs atque abjectîs vetuſti hoſtis, atque primi facinoris incentoris inſidiîs, ſalubriter de univerſis terræ edendum germinibus ſumamus. Per eundem Chriſtum D. N. ℟. Amen.

Benedictio panis, ſeu ciborum.

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, ſempiterne Deus, bene † dicere digneris hunc panem tuâ ſanctâ ſpirituali benedictione, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis: atque contra omnes morbos & univerſas inimicorum inſidias tutamen. Per D. N. J. C. Filium tuum panem vivum, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam & ſalutem mundo, & tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs S. Deus, Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

H *Bene-*

Benedictio Ciborum & Vini simul.

Oremus.

DEus, qui humano generi Panem in cibum, & vinum in potum procreâsti, ut panis corpus confortet & vinum cor hominis lætificet; præsta; qui Panis vivus de cœlo descendisti; quique in Cœna corpus in cibum Sacramentalem, & sanguinem tuum nobis in spiritualem animæ potum concessisti; ut super has creaturas ciborum & vini descendat ac veniat gratiæ tuæ larga bene†dictio; omnibúsque sumentibus sint abundans alimentum tam in salutem animæ, quàm corporis sospitatem in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs† Sancti. Amen.

Benedictio generalis

Ad quodcunque Comestibile; imò ad quamcunque rem, cujus alibi benedictio specialis non habetur. mutatîs mutandîs.

Oremus.

BEne†dic Domine creaturam istam N. ut sit remedium salutare generi humano: & præsta per invocationem Sancti nominis tui: ut, quicunque ex ea sumpserint (***vel eâ usi fuerint***) corporis sanitatem & animæ tutelam accipiant, Per C. D. N. ℞. Amen.

Benedictio Vini tùm novi, tùm Nuptialis.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui in Cana Galilææ ex aqua vinum fecisti, qui vitis es vera; multiplica super nos misericordiam tuam, & bene†dicere & sancti†ficare digneris hanc creaturam Vini, quam

ad

ad necessitatem servorum tuorum tribuisti, ut omnes, qui ex ea sumpserint, bene†dictionis tuæ opulentiâ repleantur; corporísque inde & animæ desiderabilem percipiant sanitatem. Per C. D. N. ℟. Amen.

Benedictio Lactis & Mellis.

Oremus.

BEne†dic Domine has creaturas Lactis, & Mellis, & pota famulos tuos fonte perenni, qui est Spiritus veritatis, & enutri eos de Lacte & Melle: tu enim Domine promisisti Patribus nostris *Abraham, Isaac & Jacob* dicens: *Introducam vos in terram promissionis, terram fluentem Lac & Mel.* Conjunge Domine nos famulos tuos Spiritui charitatis & Pacis, sicut conjunctum est Lac & Mel, in Christum D. N. qui tecum vivit. &c. ℟. Amen.

Benedictio Olei simplicis.

℣. Adjut. &c. ℟. Qui fecit. &c.

Exorcismus.

EXorcizo te creatura Olei per Deum Patrem†omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt. Omnis virtus adversarii, omnis exercitus Diaboli, & omnis incursus, omne phantasma Sathanæ eradicare & effugare ab hac creatura Olei, ut fiat omnibus, qui eô usuri sunt, salus mentis & corporis, in nomine Dei Patris†omnipotentis, & Jesu†Christi filii ejus D. N. & Spiritûs † S. paracliti, & in charitate ejusdem D. N. Jesu Christi, qui venturus est judicare. &c. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi. ℣. Dominus vob. &c.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, cui aſtat exercitus Angelorum cum tremore, quorum ſervitium ſpirituale cognoſcitur, dignare reſpicere & bene†dicere & ſancti†ficare hanc creaturam Olei, quam ex olivarum ſucco eduxiſti, & ex eo infirmos inungi mandâſti, quatenus ſanitate perceptâ, tibi Deo vivo & vero gratias agerent: præſta, quæſumus, ut hi, qui hoc Oleo, quod in tuo nomine bene†dicimus, uſi fuerint, ab omni languore, omníque infirmitate, atque cunctîs inſidiîs inimici liberentur, & cunctæ adverſitates ſeparentur à plaſmate tuo, quod pretioſo Sanguine filii tui redemiſti, ut nunquam lædatur à morſu ſerpentis antiqui. Per eundem D. N. J. C. Filium tuum, qui tecum vivit. &c. ℟. Amen.

Benedictio Medicinæ.

Oremus.

BEnedico te creatura Medicinæ in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs S. † ut virtutem naturalem retineas, & ſupernaturalem recipias, ad evacuandos, deſtruendos, & annihilandos à corpore humano omnes dolores, morbos & infirmitates: & ſic, quicunque ex te ſumpſerint, ſimul etiam accipiant ſanitatem mentis, tutelam ſalutis, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei, charitatem Spiritûs S. hìc & in æterna ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Alia Oratio.

BEnedico te creatura Medicinæ in nomine altiſſimi Patris † & Filii † & Spiritûs † S. qui te creavit pro tutela humani generis: Et rogamus te Domine Deus noſter, ut hæc creatura hujus Medicinæ famulo

tuo (*famula*) qui (*quæ*) eâ utetur, in nomine Sanctissimæ Trinitatis efficiatur salutare remedium, sítque perfecta Medicina in visceribus ejus, qui in Trinitate perfectâ vivis & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Am.

Benedictio cujusvis potabilis Materiæ.

Oremus.

DOmine Deus, Pater omnipotens, statutor omnium elementorum, & fructuum, qui per Jesum Christum Filium tuum D. N. substantiam hanc in refocillationem sitis, & corporum salutem esse voluisti: te supplices deprecamur, ut exauditîs orationibûs nostrîs, eam tuæ pietatis aspectu sancti†fices, atque ita omnium spirituum immundorum ab ea recedat incursio, ut, quicunque ex ea sumpserit, ei gratia tuæ bene†dictionis adveniat; téque deinceps cœlestibûs desideriîs accensus, utpotè fontem vitæ semper sitiat. Per eundem D. ℟. Amen.

§. 8.
DE BENEDICTIONIBUS DIVERSORUM LOCORUM.

Benedictio ad initium alicujus boni operis.

℣. Adjut. ℟. Qui fecit. &c. ℣. Dñus vob. &c.

NB. *Hoc modo semper incipiatur in subseqq. benedictionibus cum aspersione aquæ benedictæ in fine.*

Oremus.

DEus, à quo omne bonum sumit initium, & semper ad potiora progrediens, percipit incrementum; concede, quæsumus, supplicantibus nobis: ut,

quod ad laudem nominis tui inchoare aggredimur, æternô tuæ paternæ ſapientiæ munere perducatur ad terminum. Per C. D. N. ℟. Amen.

Benedictio Domorum

Alio tempore facienda, quàm in Sabbatho Paſcha.

In ingreſſu Domûs dicatur : Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea. *Deinde loca aſpergendo dicat Antiph.*

Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Pſal. 50. Miſerere mei Deus, ſecundùm. &c. Gloria. &c. *& repetitur Antiph.* Aſperges me. &c.

℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dominus vobiſc. &c.

Oremus.

EXaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Benedictio loci, ſeu habitationis cujuslibet.

Oremus.

BEne✝dic, Domine Deus omnipotens, locum iſtum (*vel domum iſtam, cubile, &c.*) ut ſit in eo (*vel eâ*) ſanitas, caſtitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & manſuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri & filio & Spiritui ſancto, & hæc benedictio maneat ſuper hunc locum, & ſuper habitantes in eo, nunc & ſemper. ℟. Amen.

Alia

Alia Benedictio Domûs novæ.

Oremus.

TE Deum patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, & habitatoribus ejus, ac rebus: ut eam bene † dicere & sancti † ficare, ac bonîs omnibûs ampliare digneris: tribue eis Domine de rore cœli substantiam, & de pinguedine terræ vitæ substantiam, & desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum bene † dicere & sancti † ficare digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum *Abraham, Isaac & Jacob*: & intra parietes Domûs istius Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque & ejus habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratio ne comburatur ab igne.

DEfende, quæsumus, Domine, domum istam, à majoribus usque ad minimos cum pecoribus & rebus suis ab igne, ab infirmitate, à tempestate, ab ira ventura, ab omnibus tribulationibus diaboli, & ab insidiis inimici; & tu Deus sis habitator & Custos, & eam ab omni igne custodi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio novi Putei vel Fontis.

Oremus.

DEprecamur, Domine, clementiam pietatis tuæ, ut aquam putei hujus cœlesti benedictione † sanctifices, & ad communem vitam concedas salubrem: & ita ex eo fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incursum, ut, quicunque ex eo abhinc hauserit, biberitve, vel in quibuslibet necessa-

riis usibus haustâ aquâ usus fuerit, totius virtutis ac sanitatis dulcedine perfruatur, ut tibi semper sanctificatori omnium Domino gratias agere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia Oratio.

DOmine Deus omnipotens, qui in hujus putei altitudinem per crepidinem fistularum copiam aquarum manare jussisti; præsta; ut te jubente atque bene†dicente, per nostræ officium functionis repulsîs hinc phantasmatibûs, calliditatibûs atque insidiîs diabolicîs purificatus, atque emendatus semper hic puteus perseveret. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum. &c. ℟. Amen.

Benedictio Thalami.

Oremus.

BEne † dic, Domine, Thalamum hunc; ut omnes habitantes in eo, in tua pace consistant, & in tua voluntate permaneant, & senescant, & multiplicentur in longitudine dierum, & ad regna cœlorum perveniant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio novæ Navis.

Oremus.

PRopitiare, Domine, supplicationibus nostris, & bene † dic Navem istam dexterâ tuâ sanctâ, & omnes, qui in ea vehentur, sicut dignatus es benedicere arcam Noë ambulantem in diluvio: porrige eis Domine dexteram tuam, sicut porrexisti B. Petro ambulanti super mare, & mitte sanctum Angelum tuum

tuum de cœlis, qui liberet & custodiat eam semper à periculis universis, cum omnibus, quæ in ea erunt: & famulos tuos, repulsîs adversitatibûs, portu semper optabili, cursúque tranquillo tuearis, transactísque ac rectè perfectîs negotiîs omnibûs, iteratô tempore ad propria cum omni gaudio revocare digneris. Qui vivis. &c. ℟. Amen.

Benedictio Braxatorii, Pistrinæ, vel alterius officinæ. &c.

℣. Adjutor. ℣. Sit nomen Domini &c.

Hel, Heloim, Sothor, Emmanuel, Sabaoth, Agla, Tetragrammaton, Hagios, Otheos, Ischyros, Jehova, Athanatos, Adonai, Saday, Messias, increatus † Pater, increatus † Filius, increatus † Spiritus S. Jesus Christus Rex gloriæ † venit in pace. Verbum caro factum est † Deus factus est homo. Christus † vincit, Christus † regnat, Christus † imperat, Christus à flamma ignis, & percussione fulguris hanc Officinam (*Braxatorium* &c.) defendat atque custodiat.

℣. à flamma ignis, incendiô ac fulgure

℟. Hanc Officinam libera Domine.

Oremus.

OMnipotens & misericors Deus, qui ubique præsens es, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut huic officinæ gratia tua adesse dignetur, quæ cuncta adversa ab ea repellat, & abundantiam bene † dictionis tuæ largiter infundat. Rogamus etiam te Domine, ut potentiâ tuâ Officinam hanc defendas cum omnibus rebus suis ab igne, tempestate, fulgure, ruinâ, & ab omnibus tribulationibus inimicorum, ita, ut famuli

muli tui, qui eandem benedici expetiêrunt, de tuâ custodiâ glorientur, benignitatémque tuam sinè fine collaudent. Per C. D. N. ℟. Amen.

Benedictio Ignis in Furno, seu fornace sive fusoriâ metallicâ, sive coctoriâ Panum lapidum sive in officina alia.

Oremus.

OMnipotens sempterne Deus, qui famulo tuo Moysi igneâ formâ in Rubo apparuisti, & filios Israel per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut eis esses dux itineris utroque tempore, transtulisti; quíque per Angelum tuum flammam ignis excutientem tres pueros in fornace illæsos conservâsti, ínque ignis mediò sinè omni læsura ambulare, te Deum super omnia laudabilem, gloriosum ac benedictum benedicere fecisti: adesto propitius invocationibus nostris, ut hanc fornacem (desuper adveniente gratiâ tuâ) ingenti benedictione per nostræ humilitatis servitutem puri † ficare, bene † dicere & sancti † ficare digneris, ut tuâ benedictione succensa, quidquid in ea ad nostros usus invenitur, etiam ad gloriam & ad honorem tuum referatur. Per Dom. nostrum. ℟. Amen.

Alia benedictio Furni ejúsque Ignis accensi.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, effunde benedictionem tuam super hunc furnum, cúmque bene † dicere & conservare tuâ pietate digneris: ut per gratiam tuam, & bene † dictionem nostram ad summam perfectionem suam perveniat. Per D. &c. ℟. Amen.

Ore-

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, in nomine tuo & filii tui D. N. J. C. & Spiritûs S. bene†dicimus & sancti†ficamus hanc creaturam Ignis: tu quoque eam virtute corrobora, & ad nostram salutem provenire concede. Per Dom. &c.
℟. Amen.

Benedictio Campanæ, dum ære conflatur.

℣. Adjut. &c. *Deinde dicitur Ps.* 150. Laudate Dominum in Sanctis ejus. *ex Laud.* *Quô finitô* Kyrie eleyson. *Pater noster. &c.*
℣. Sit nomen Dom. &c. ℟. Ex hoc nunc. &c.
℣. Domine Exaudi, &c. ℣. Dominus Vobisc. &c.

Oremus.

BEne†dic, Domine, hoc metallum ignitum, quod benedicere statuimus. Quæsumus Domine, tuâ gratiâ perfundere digneris, & tuâ virtute obumbres, ut tuâ clementiâ favente, quod desideramus, attingamus ad laudem & gloriam Dei omnipotentis, & ad honorem Sancti vel Sanctæ NN. (*hic exprimitur nomen Sancti vel Sanctæ, cui campana dicanda, vel cujus nomine intitulanda est.*) Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. *Aspergatur.*

NB. *Cùm jam conflata, seu perfecta campana fuerit, dictô Psalmô & versibus, ut supra, dicat Sacerdos.*

Oremus.

DEus, qui per sanctum Moysen Legiferum famulum tuum, tubas argenteas fieri præcepisti, quibus, dum Levitæ tempore Sacrificii clangerent, sonitûs dulcedine populus monitus ad te adorandum fieret

fieret præparatus, & ad celebrandum conveniret: præsta quæsumus, ut hoc vasculum sanctæ tuæ Ecclesiæ præparatum (*à Spiritu S.*) per nostræ humilitatis obsequium sancti † ficetur, & per illius tactum, sonitúmque fideles invitentur ad sanctam Ecclesiam & præmium supernum. Et cùm Melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei, procul pellantur omnes insidiæ inimicorum, fragor grandinum, & impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua; prosternat aëreas potestates dextera tuæ virtutis, ut hoc audientes tintinnabulum contremiscant & fugiant ante S. Crucis vexillum in eo depictum; quod ipse D. N. Jesus Christus præstare dignetur, qui absorptâ morte per patibulum Crucis regnat in gloria Dei Patris, cum eodem Patre & Spiritu S. per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Benedictio Cellæ v. g. *Vinariæ, &c.*

Oremus.

DOmine Deus, Pater omnipotens, statutor omnium Elementorum, & creator omnium naturæ humanæ necessariorum, qui per Moysen famulum dixisti: ***Si audieris vocem Domini Dei tui, emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum***; te supplices deprecamur, ut exauditîs nostrîs orationibûs cellam hanc (***vinariam, cerevisialem &c.***) & omnia, quæ in ea reponuntur, pietatis tuæ aspectu bene†dicere digneris; atque ita omnium spirituum immundorum recedat incursio, ut nihil ex ea prævaricationis ille author sibi audeat assumere, nec quidquam adversi in ea machinari. Et quicunque cellam illam intraverint, &

& quidquid in ea repositum fuerit, gratia illis tuæ bene†dictionis adveniat, & mala omnia, te propitiante, ab eis procul recedant. Per D. N. &c. ℟. Amen.

Benedictio Horrei, Granarii aut alterius Repositorii.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui audientibus vocem tuam & implentibus mandata tua per Moysen famulum tuum promisisti benedictionem tuam dicens: *Benedicta horrea tua & benedictus fructus terræ tuæ*: bonitatem tuam humiliter imploramus, ut horreum istud (*granarium &c.*) dexterâ tuâ sanctâ bene†dicere, & ab omnibus adversis tueri, atque cuncta ea, quæ in illo reponentur aut reposita fuerint, ita effusâ gratiâ tuâ conservare ac custodire digneris, ut nos famuli tui ad sustentationem ac solamen corporum, & ad spiritualem refectionem animarum exinde vivere, tibique fideliter servire valeamus. Per C. D.N. ℟. Am.

Benedictio Vinetorum.

Oremus.

DEus, qui Vineam tuam ex Ægypto eductam mirabiliter plantâsti, preces nostras benignus exaudi, ut in Vineta famulorum tuorum bene†dictio cœlestis copiosa descendat. Et quod vinum in iis ex uvarum fructu in hominum usum prodire jubes, & ad usum humani generis tribuere dignaberis, multipliciter redundando rorem tuæ bene†dictionis infunde. Et sicut Noë famulo tuo dedisti vineam plantare, & de fructu ejus sumere; ita benignus concede fructum in tempore suo, qui ad usus nostros proveniens,

ad magnificandam bonitatem tuam nos jugiter inducat. Per C. D N. ℟. Amen.

Benedictio Agrorum seu alterius terræ Semine resperſæ.

Oremus.

Bene†dicat nos Deus, Deus†noſter; & terræ huic ubertatem concedat, in centuplum multiplicet, creſceréq; faciat fructus ejus, ut viventes cum exultatione manipulos noſtros colligere, ac cum gratiarum actione quotidianam indigentiam, victuíque noſtro, te benigniter elargiente, meſſem ſufficientem habere valeamus. Per C. D. N. ℟. Amen.

Benedictio communis ſuper Fruges & Vineas.

Oremus.

ORamus pietatem tuam, omnipotens Deus, & has primitias creaturæ tuæ, quas aëris & pluviæ temperamentô nutrire dignatus es, bene†dictionis tuæ imbre perfundas, & fructus terræ uſque ad maturitatem perducas. tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi gratias agere, ut à fertilitate terræ eſurientes animas bonîs affluentibûs repleas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per C. D. N. ℟. Amen.

Benedictio cujuslibet terræ frugiferæ v. g. *Camporum, Pratorum, Pomarii, Horti, &c.*

Oremus.

DIgnare Domine bene † dicere terram iſtam, ut det fructum bonum & ſanctum in tempore ſuo: nam ego in nomine tuo, & S. P. N. Franciſci, S. Antonii de Padua, Ubaldi & S. N. (*Exprime nomen Patroni loci*) eam bene†dico & ſancti†fico, ut nullus ſpiritus poſſit eam turbare; in nomine Pa † tris &c. O

O Domine, S. Pater omnipotens, æterne Deus, supplices te deprecamur, ut misericordiâ tuâ jugiter nobis concedas sufficientem messium copiam; fructuum omnium largitatem tribuas; vinearum quoque substantiam abundantem; arborum fœtus, proventúsque omnium rerum: atque ab ipsis omnibus pestiferum sidus, tempestatis procellam, & grandinis fragorem, & universa mala amovere digneris. *Sancte Donate* (*vel N.*) rogo te, ut bene†dicas & sancti†fices hanc terram, segetes, arbores &c. ne possit ullus dæmon super hanc terram frugiferam, fructúsque inde proventuros quidquã habere potestatis. In nomine &c.

Oremus.

O Domine Deus, multiplica misericordiam tuam, ut super hæc sata & fruges veniat speratæ bene†dictionis tuæ ubertas, & omnia ad maturitatem fertilitatis perducere digneris. Et mitte Spiritum S. cum SS. Angelis tuis, ut defendant has segetes nostras à noxiis bestiis, & inimici insidiis, eásque benedicant, sicut ego eas benedico in nomine Patris, &c.

Alia Orato

Ut Fructus terræ conserventur ex lib. precat. Joannis Feri Franciscan. Conventualis.

OMnipotens sempiterne ac misericors Deus, aspice, precamur quotidianam nostram indigentiam; ostende misericordiam tuam, & messem sufficientem quotidianæ necessitati largire munificus. Sed & vineæ, arbores, cæteræque terræ herbæ, tuâ benedictione fructificent.

Tu Pater cuncta inimica frugibus averte pius, noxia sidera, tempestates, aquarum alluvia, frigora, grandines, & quidquid ejuscemodi mali est, quod impedit, per Christum Filium tuum veram vitam. Am.

PARS

B, ANDREAS De CONTI Ord, FF Minorum Convent:
Cardinalatum ex humilitate bis recusavit; stola ab
Angelis donatus, expulsione dæmonorum curatione
languorum cæterisq; miraculis plurimis clarus
requiescit Anagniæ in Conventu FF minorum Con-
ventualium beatificatus 1724 ab Innocentio XIII obyt 1302

Fr: Georgius Richermo   Wÿon iunior f. Col:

PARS SECUNDA.

DE METHODO & REGULIS Exorcizandi aliisque hujus generis obser-vatu, nec non scitu necessariis remediis.

NB. 1. *Quemadmodùm Sacerdotes singuli in sua ordinatione plenariam à Deo & Ecclesia acceperunt potestatem benedicendi; sic & consecutivè maledicendi, eòquod contrariorum eadem sit ratio: prout etiam constat ex S. script.* Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones & super omnem virtutem inimici. *Luca.* 10. *v.* 9. *Item* in nomine meo Dæmonia ejicient. *Marci.* 16. *v.* 17.

NB. 2. *Adjuratio Dæmonis, quæ græcè Exorcismus dicitur, licita est, si fiat in ordine ad Dæmonem in nomine veri Dei expellendum. Quoad modum requiritur, ut fiat imperativè, v.g.* exi, mando, ut facias. &c. *Si fiat deprecativè v.g.* rogo, ut facias, fac mihi gratiam, *nisi ignorantia excuset, erit mortale, quia deprecatio præsefert humilitatem, submissionem aut amicitiam, quæ ad Dæmonem habere, mortale est. Adjurans licitè interrogat ea, quæ ad Dæmonis ejectionem sunt necessaria; non verò potest exorcista concedere, ut Dæmon in alium hominem, etiam indeterminatum, exeat; quia quilibet habet jus, ut ab hoc hoste non insideatur. Aliud est de bestia, quæ Diabolo concedi potest, si non sit alius [quod rarò contingit] eum expellendi modus. Cùm enim obsessus sit quasi in extremo malo, alter rationabiliter invitus esse non potest, ut bestia sua pro proximi salute corporis forsan & animæ impendatur.*

NB. 3. *Parochus est obligatus ex Justitia, & in ejus defectu alii Sacerdotes ex charitate obsessum Exorcizare, si sit spes Diabolum expellendi. sit ita ℨ.*

§. I.

REGULÆ PRO EXORCISTA.

1. IMprimis necesse est, ut ipse Exorcista maximâ cum fide, conscientiâ mundâ, cum humilitate ad munus hoc præstandum accedat.

2. In exorcizante non requiritur excellens Sanctitas, sed firma fides & certa fiducia, quam quilibet facilè habere poterit, cogitando se verum esse Sacerdotem, sibique veram traditam esse potestatem exorcizandi: intendat ergo uti potestate suâ, non in sua privata persona, sed in persona Christi, & Ecclesiæ, cujus Minister est.

3. Disponat obsessum, vel Maleficiatum, ut contritione ac Confessione mundet conscientiam, & ut frequenter oret Deum, ut ab eo flagello illum liberet, si ad ejus salutem promerendam expedit.

4. Aliqui Doctores putârunt *apud Valent. tom.* 8. *disp.* 6. q. 8. potestatem exorcistæ, quantùm ad Dei legem ordinariam spectat, nunquam effectu suo carere, quòd si reipsâ Dæmon non obediat, ajunt ex aliquo fidei defectu id semper oriri. Quòd igitur non semper accidat, ut invocatô nomine Jesu Dæmon egrediatur, minima fides invocantis est in causa. *Ait Castro V. Exorc*

5. Hoc manifestè cognoscitur in responsione, quam Christus Dominus dedit discipulis, cùm interrogatus fuit, quare ipsi non potuissent expellere Dæmonem ab illo lunatico, sicuti ejecerant ab aliis obsessis: *quare nos non potuimus ejicere illum? Matt* 17. respondit: *propter incredulitatem vestram, quia si habueritis in vestro corde tantam fidem, quantum est granum sinapis, dicetis huic monti,* id est, *ut interpretatur Beda*, huic obstinato, & superbo Dæmoni: discede hinc, & statim discedet. Nomine autem fidei significatur, *juxta Suarez. de fide. disp.* 8. *sect.* 1. *n.* 3. *imò* omnipotentiam indubitatè credere, & veram promissionem ejus: cùm Christus suis propriis Verbis pro-

promiserit Ecclesiæ, & per illam exorcistis, non defuturum suum auxilium; illi præcepto, quô imperabitur Dæmonibus nomine suo, ejus divinum promissum deficere non potest. 2dò, quod in hoc vocabulo *fidei* continetur, est: indubitatè credere prædictam omnipotentiam Dei, & veritatem ejus promissionum hac peculiari in re, quam Exorcista præ manibus habet, nempe sibi obedientem fore Dæmonem; satìs itaque est, si Exorcista certò credat cum hac conditione à Dæmone videlicet sibi obediendum, si adsint ea, quæ requiruntur tum in Exorcista, tum à maleficiato, & simul prudenter existimet hæc omnia re ipsa adesse.

6. Ut energumeni liberatio fiat, opus est, potestatem Exorcistæ adhiberi cum dispositionibus & circumstantiis debitis. Una autem ex circumstantiis est, liberationem hujusmodi esse utilem bono tum privato animæ, tum publico Ecclesiæ. *Non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis, ait S. Augustinus*; & ita possumus dicere etiam nos. Non præcipitur in nomine Salvatoris quidquid & contra rationem salutis præcipitur. Formula imperandi Dæmonibus à Christo præscripta suis ministris, est imperare in nomine ejus. *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Quidquid igitur contrarium est huic nomini salutis, non includitur in formula præscripta, & in chirographo illo, quô stabilita est à Servatore nostro suorum ministrorum jurisdictio.

7. Exorcista habeat fidem in gradu heroico, etenim dum se agnoscit veluti ministrum Christi, qui munitur armis cælestibus, destinatus est ab Ecclesia ad pugnandum contra tartareum hostem, quam generositatem spiritûs & fidei animo non concipiat? *Tu venis ad me cum gladio & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini*, potest ille dicere, velut alter David huic giganti tartareo: 1. *Reg.* 17. Tu venis contra me instructus armis tuæ nequitiæ, & tuarum fraudum; hæc sunt arma prorsus vitrea, si comparentur cum illa insuperabili virtute, qua DEUS assistet jussis meis, quibus tibi imperabo in ejus nomine, cujus nunc vices gero.

8. Licèt absolutè necessarium non sit interrogare Dæmonem: *Primò* de suo nomine, attamen prodesse poterit, ut Exorcista sciat, quem ex illis execrandis spiritibus alloqui debeat. *Secundò* interrogare de numero prodesse poterit; ut sciatur, an signa maleficii plura sint, an unum tantum. *Tertiò*

interrogare de causa invasionis prodesse poterit, ut cognoscatur, an maleficium factum sit ad tempus, an in perpetuum. *Quartò* interrogare de die & hora discessionis prodesse poterit, ut sciatur, quomodo inter Dæmones, & maleficium conventio facta sit & pactum: pariter scire signa maleficii, & ea destruere, & comburere prodesse poterit, tum, ut dissolvatur idem pactum, si hac conditione fortè initum fuit, tum, ut disponatur meliùs maleficiatus, certámque putet suam liberationem. Cæterùm nihil horum necessarium est Exorcistæ, qui benè instructus est fide, & novit potestatem, quam à Christo, & ab Ecclesia recepit, dum sacro ordine initiatus fuit. Quare scire negligens nomen Dæmonis, causam ejus ingressûs, numerum, conventiones factas in maleficio & alia hujusmodi, magno impetu actus ejusdem fidei aliquando absolutè imperabit in nomine JESU Christi omnibus spiritibus, qui corpus illud exagitant, licèt ibi adessent omnes Diaboli, risu excipiet omnes eorum conventiones, nihil faciet signa maleficii quærere, nec ulla in re voluntati Dæmonis obsecundet, qui per hujusmodi artes & machinamenta tueri contendit potestatem suam, & remorari vel impedire Exorcistæ potestatem, cui subesse cogitur. *Ita refert D. Hieronymus in vita S. Hilarionis*; asserente Dæmone se non posse exire de corpore cujusdam puellæ, nisi ab ostio Domûs, quam hæc incolebat, sublata fuissent signa maleficii, quibus obligatus fuerat fœminam cruciare; His neglectis, & nullâ interpositâ morâ sanctum virum imperâsse nefario Dæmoni in virtute nominis JEsu Christi, cúmque statim expulsum fuisse.

9. Potestas ejiciendi Dæmones, quæ facta est Exorcistis, non sita est in longis precibus & prolixis exorcismis recitandis super energumenos, excipe preces & exorcismos, & formam traditam *in Rituali Romano*, quæ omnia maximi facienda semper ab Exorcistis, nemo sanæ mentis unquam vocabit in dubium; sed hoc unum requirit, ut imperetur Dæmoni in nomine JESU Christi, vel Sanctissimæ Trinitatis, quod necessarium vel utile est proposito fini expellendi ab obsessis corporibus Dæmones: confirmante interim Exorcistâ hæc præcepta vividâ cognitione, tum authoritatis suæ, tum muneris, quo fungitur tanquam minister DEI, tum demum Victoriæ, quam Christus Dominus ab omnibus infernis hostibus reportavit. Sanctitas autem morum, jejunium, & oratio, de quibus fit

mentio,

mentio, cùm dicitur : *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione, & jejunio Matthæi.* 17. eò usque necessaria sunt, ut fides hæc validissima impetretur, quæ omnibus tartareis potestatibus dominatur.

Exorcista non facilè credat, aliquem à Dæmone esse obsessum, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus à Dæmone, ab iis, qui atra bile, vel morbo aliquo affecti sunt, dignoscitur. Certissima signa hæc sunt : *Ignotâ linguâ bene & diu loqui, aut distantia, aut occulta patefacere.* Probabilia autem signa sunt, *ad sacra verba contremiscere, torsiones, motus, furores insolitos, ac repentinos sentire, horrere ac detestari divina, & dolore ad ea affici, corporis vel alicujus membri insolita inflatio, vires alioquin supra ætatis, vel conditionis naturam.*

Si exorcista nullum evidens, sed solùm probabile vexationis Diabolicæ signum deprehenderit, verúmque, sicuti necesse est, agnoscere voluerit, ut maleficiatum disponere possit ad veræ fidei actum, ita se geret. Postquam brevem precationem unà cum ipso maleficiato ad Deum effuderit, & Apostolorum Symbolum recitaverit, & Spiritum sanctum invocaverit, aspiciens fixis oculis infirmum, manúmque ejus capiti imponens, secretò præcipiat Dæmoni hac conditione, ut si ipse illius mali est author, signum aliquod edat, agitando tunc hominem illum coram se. Præceptum istud ita ferme fieri potest :

† "Ego N. minister Christi & Ecclesiæ in nomine
"JEsu Christi præcipio vobis, immundi spiritus,
"si qui latetis in corpore hujus hominis à DEO creati;
"vel si quo modo eum vexatis, ut statim mihi præbea-
"tis aliquod signum evidens, & certum præsentiæ
"vestræ agitando hominem hunc, vel coram me effi-
"ciendo aliquid ex iis, quæ priùs absente me efficere
"in eo soliti eratis.

Hoc præceptum fieri debet vivâ fide, & excitando memoriam muneris illius, quo Exorcista fungitur, nempe DEI ministri & Ecclesiæ instrumenti contra Dæmones, ut autem sit efficax, expediet persuadere ægroto, ut hanc ipsam fidem concipiat, & illum certiorem facere illius potestatis, quam ob sacrum ordinem Exorcista in Dæmones habet, & Diabolo nullas vires esse, ut resistat, cùm illi imperatur in nomine JESU Christi.

Christi. Præterea utile erit, non solùm proferre præceptum hoc linguâ latinâ, sed etiam voce adeò submissâ, ut ægrotus percipere non possit; & ita agnosci poterit, an verè à Dæmone corpus illud agitetur.

Tandem sciendum quoque est, reperiri aliqua maleficia, *quæ dicuntur potestativa*, in quibus Dæmon nec invadit membra, nec assiduè inest maleficiato, sed solùm certis temporibus redit ad illum vexandum, cùm igitur fieri possit, ut adveniente Exorcistâ, malignus & callidus hostis recedat, ne cogatur quæsitum signum edere, oportet ab Exorcista non solùm Dæmonem præsentem adjurari præceptô suô, sed simul imperari vivâ fide, ut, si fortè ille absit, statim accedat, & exequatur, quidquid illi præcipitur, videlicet se manifestet, aliquid ex iis efficiendo, quæ aliàs efficere solet. Hæ cautiones sunt necessariæ, quia nobis res est cum inimico, qui astu & calliditate eò pervenit, quò arte & virtute pervenire non potest, si autem ea fides adsit, quæ requiritur ab Exorcista, tum à maleficiato, nullus dubitandi superest locus, quin Dæmon postulatum signum edere teneatur, sine quo ulterius procedi non potest, cùm statui nequeat, an malum à Diabolo fiat.

Advertat insuper Exorcista in mulieribus exorcizandis, ut honestatis sit memor, néve quidpiam dicat, vel faciat, quod vel ipsi, vel mulieri occasio esse possit alicujus impudicæ cogitationis. Moneat etiam eum, qui obsidetur, si divinâ gratiâ liberatus fuerit, ut diligenter sibi caveat à peccatis, etiam levioribus, ne occasionem præbeat Dæmoni iterum regrediendi.

Caveat autem Exorcista, ne ipse hoc munus exerceat, nisi prius habitâ in scriptis facultate à Superiore suo majori.

Quando itaque Exorcista volet actu exorcizare aliquam personam à Dæmone obsessam, priùs confiteatur, aut conteratur de omnibus suis peccatis: legat etiam missam, si tempus commodum sit, ut sic cœlesti illo ac supremo domitore Dæmonum, Christo Salvatore nostro munitus, audaciùs & potentiùs contra superbos spiritus obsidentes procedere valeat. Deinde armet se efficaci actu fidei, qui aptissimus est, ad impugnandos, & ejiciendos immundos spiritus: ad eundémque actum etiam inducat personam obsessam, statim à principio exorcismi.

FORMA

FORMA BREVIS EXORCISMI.

Pro exorcizandis obsessis à Dæmone.

In nomine Patris & Filii & spiritûs S. Amen.
℣. Dom. exaudi. &c. ℣. Dom. vobisc. &c

Oremus.

OMnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Jesu, qui SS. Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici; & cujus virtute victus, tanquam fulgur de cœlo, Satanas cecidit: tuum nomen tremens, suppléxque deprecor, ut mihi indignissimo servo tuo datâ veniâ peccatorum confidentiam & virtutem donare digneris, ut hunc crudelem Draconem brachii tui potentiâ securus aggrediar. Qui vivis, &c. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, à cujus facie Cœli distillant, montes sicut Cera liquescunt, terra tremit, cui patent abyssi, quem infernus pavescit: te supplex deprecor, ut invocatione tui nominis hujus famuli (famulæ) anima à vexatione liberata, ad Auctorem suæ salutis recurrat, liberatorémq; suum, diabolicô depulsô fœtore & odore suavissimô Spiritûs S. perceptô, sequatur D. N. J. C. Filium tuum, qui tecum vivit &c. Amen.

Tunc energumenus seu Dæmoniacus clarâ voce dicat symbolum Apostolicum, praeunte Sacerdote qui statim dicat:

℣. Benedicamus Patrem & Filium cum S. spiritu.
℟. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia majestatis adorare Unitatem, quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. per C. D. N. Amen.

Longior hujus Exorcismi prosecutio continetur in Rituali Romano, *qui ante alios pluris habeatur. Unde Sacerdos totus in Deum confidens, Stolam suam Violaceam, quâ indutus sit, ad obsessi collum circumponat, eum, se & omnes adstantes signô crucis muniat, aquâ benedictâ aspergat, cum admonitione, ut preces suas simul conjungant. Deinde genibus flexis dicat ex suo Breviario* Litanias de omnibus Sanctis *usque ad* Agnus Dei. *Inclusivè. Postea.*

Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel Parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. *Pater noster.* &c.

Psalm. 53. Deus in nomine tuo. &c. *ex prima.*

℣. Salvum fac servum tuum. (*Ancillam.*)
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. à facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo. (*eâ*)
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum. (*eam*)
℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dominus vobiscum. &c.

Oremus.

DEUS, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, (*vel famulam tuam*,) quem vel

quam)

quam] delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui illum refugum tyrannum & apostatam gehennæ ignibus deputâsti, quíque unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem contereret, velociter attende, accelera, ut eripias hominem ad imaginem, & similitudinem tuam creatum, à ruina & dæmonio meridiano. Da Domine terrorem tuum super bestiam, quæ exterminat vineam. Da fiduciam servis tuis, contra nequissimum draconem pugnare fortissimé, ne contemnat sperantes in te, & ne dicat, sicut in Pharaone, qui & jam dixit, Deum non novi; nec Israël dimitto. Urgeat illum dextera tua potens discedere à famulo tuo N (*vel famula tua N.*) ne diutiùs præsumat captivum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in filio tuo redemisti, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde surgens præcipiat dæmoni hunc in modum.

PRæcipio tibi, quicunque es, spiritus immunde, & omnibus sociis tuis, hunc Dei famulum obsidentibus, ut per mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri JEsu Christi, per missionem Spiritûs sancti, adventum ejusdem Domini nostri ad judicium dicas mihi nomen tuum, diem & horam exitûs tui cum aliquo signo; & ut mihi Dei ministro, licèt indigno, prorsus in omnibus obedias: néque hanc creaturam Dei, vel circumstantes, aut eorum bona ullo modo offendas.

Deinde legantur super obsessum hæc Evangelia, vel unum aut alterum.

Lectio S. Evangelii secundùm Joannem.

Hæc dicens signat se, & obsessum in fronte, ore & pectore.

In principio erat verbum, &c. pag. 84.

Lectio S. Evangelii secundùm Marcum. *Marc.* 16.

IN illo tempore: Dixit JEsus discipulis suis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: Super ægros manus imponent, & benè habebunt.

Lectio S. Evangelii secundùm Lucam. *Luc.* 10.

IN illo tempore reversi sunt septuaginta duo cum gaudio dicentes ad JEsum: Domine, etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit: veruntamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam. *Luc.* 11.

IN illo tempore: Erat JEsus ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm ejecisset Dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: in Beelzebub principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia: & alii tentantes, signum de

cœlo

cœlo quærebant ab eo. Ipse autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in se ipsum divisum, desolabitur, & Domus supra Domum cadet. Si autem Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis, in Beelzebub me ejicere Dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio Dæmonia: filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. Porrò si in digito Dei ejicio Dæmonia: profectò pervenit in vos regnum Dei. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior eô superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet.

℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dom. Vobisc. &c.

Oremus.

OMnipotens Domine, verbum Dei Patris, Christe JEsu, Deus, & Dominus universæ creaturæ, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, qui inter cætera mirabilium tuorum præcepta dignatus es dicere: Dæmones effugate: cujus virtute motus tanquam fulgur de cœlo Satanas cecidit: tuum sanctum nomen cum timore & tremore suppliciter deprecor, ut indignissimo mihi servo tuo, datâ veniâ omnium delictorum meorum; constantem fidem, & potestatem donare digneris: ut hunc crudelem Dæmonem, brachii tui sancti munitus potentiâ fidenter & securus aggrediar, per te JEsu Christe, Domine Deus noster, qui venturus es judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde muniens se & obsessum signô crucis, circumpositâ parte Stolæ ad collum ejus, & dexterâ manu suâ capit,

capiti ejus imposita, constanter, & magna cum fide dicat ea, quæ sequuntur.

℣. Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ.
℟. Vicit Leo de tribu Juda radix David.
℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dom. Vobisc. &c.

Oremus.

DEUS, & Pater Domini nostri JEsu Christi, invoco Nomen sanctum tuum, & clementiam tuam supplex exposco, ut adversùs hunc, & omnem immundum spiritum, qui vexat hoc plasma tuum, mihi auxilium præstare digneris. Per eund. D. N. J. C. Filium tuum, qui &c. ℟. Amen.

Exorcismus.

EXorcizo te immundissime Spiritus, omnis incursio adversarii, omne phantasma, omnis legio, in nomine Domini nostri JEsu Christi † eradicare, & effugare ab hoc plasmate Dei † ipse tibi imperat, qui te de supernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui mari, ventis, & tempestatibus imperavit. Audi ergo, & time Satana, inimice fidei, hostis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, fomes vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, causa discordiæ, excitator dolorum: quid stas & resistis, cùm scias, Christum Dominum vires tuas perdere; illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Joseph venundatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit.

Sequentes cruces fiant in fronte obsessi Recede ergo in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † sancti. Da locum Spiritui sancto, per hoc signum † crucis JEsu Christi

Christi Domini nostri. Qui cum Patre & eodem Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℞. Amen.

℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dom. Vobis. &c.

Oremus.

DEUS conditor, & defensor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formâsti, respice super hunc famulum tuum N. *vel famulam tuam N.* qui *vel quæ* dolîs immundi Spiritûs appetitur, quem vetus adversarius, antiquus hostis terræ formidinis horrore circumvolat, & sensum mentis humanæ stupore defigit, errore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat; repelle Domine virtutem Diaboli, fallacésque ejus insidias amove: procul impius tentator aufugiat, sit nominis tui signo † (*in fronte*) famulus tuus munitus, & in anima tutus & corpore.

Tres cruces sequentes fiant in pectore Dæmoniaci.

Tu pectoris † hujus interna custodias. Tu viscera † regas. Tu cor † confirmes: in anima adversatricis potestatis tentamenta evanescant. Da Domine ad hanc invocationem sanctissimi nominis tui gratiam, ut, qui hucusque terrebat, territus aufugiat, & victus abscedat, tibíque possit famulus tuus, & corde firmatus, & mente sincerus debitum præbere famulatum. Per D. N. J. C. F. tuum, qui. &c. ℞. Amen.

Exorcismus.

ADjuro te, serpens antique, per judicem vivorum & mortuorum, per factorem tuum, per factorem mundi, per eum, qui habet potestatem mittendi te in gehennam, ut ab hoc famulo DEI N. qui ad Ecclesiæ sinum recurrit, cum metu, & exercitu furoris

ris tui festinus discedas. Adjuro te iterum † (*in fronte*) non mea infirmitate, sed virtute Spiritûs S. ut exeas ab hoc famulo DEI N. quem omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede igitur, cede non mihi, sed ministro Christi: illius enim te urget potestas, qui te cruci suæ subjugavit, illius brachium contremisce, qui devictis gemitibus inferni animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis † (*in pectore*) sit tibi formido imago Dei † (*in fronte*) non resistas, nec morêris discedere ab homine isto, quoniam complacuit Christo in homine habitare. Et ne contemnendum putes, dum me peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Deus † imperat tibi majestas Christi, imperat tibi Deus Pater † imperat tibi Deus Filius † imperat tibi Deus Spiritus † sanctus, imperat tibi fides SS. Apostolorum, Petri & Pauli, & cæterorum Apostolorum, imperat tibi Martyrum sanguis, imperat tibi continentia Confessorum † imperat tibi pia Sanctorum & Sanctarum omnium intercessio † imperat tibi Christianæ fidei mysteriorum virtus † exi ergo transgressor, exi seductor, plene omni dolô, & fallaciâ; virtutis inimice, innocentium persecutor. Da locum impiissime, da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis, qui te spoliavit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligavit, & vasa tua diripuit, qui te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente reniteris? quid temerariè detrectas? reus es omnipotenti Deo, cujus statuta transgressus es, reus es Filio ejus Jesu Christo, Domino nostro, quem tentare ausus es, & crucifigere præsumpsisti, reus es humano generi, cui tuîs persuasionibus mortis venenum propinâsti.

Adjuro ergo te, draco nequissime, in nomine † immaculati, qui ambulavit super aspidem, & basiliscum, qui conculcavit leonem, & draconem, ut discedas ab hoc homine † [*fiat in fronte*] discedas ab Ecclesia Dei † *fiat signum Crucis super circumstantes*] contremisce, & effuge invocato nomine Domini illius quem inferi tremunt, cui virtutes Cœlorum, & Potestates, & Dominationes subjectæ sunt; quem Cherubim & Seraphim indefessis vocibus laudant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi Verbum † caro factum. Imperat tibi natus † ex Virgine, imperat tibi Jesus † Nazarenus, qui te, cùm discipulos ejus contemneres, elisum atque prostratum exire præcepit ab homine, quo præsente, cùm te ab homine separâsset, nec porcorum gregem ingredi præsumebas. Recede ergo nunc adjuratus in nomine † ejus ab homine, quem plasmavit; durum est tibi velle resistere † durum est tibi contra stimulum calcitrare † qui quando tardiùs exis, tantò magis tibi supplicium crescit; quia non homines contemnis, sed illum, qui dominatur vivorum & mortuorum, qui venturus est. &c. ℟. Am.

℣. Domine exaudi &c. ℣. Dom. vob. &c.

Oremus.

DEus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post laborem, quia non est alius Deus præter te, nec esse poterit verus, tu creator cœli & terræ; qui verus Rex es, & cujus regni non erit finis, humiliter majestati gloriæ

riæ tuæ supplico, ut hunc famulum tuum de immundis spiritibus liberare digneris. Per C. D. N. ℟. Amen.

Exorcismus.

ADjuro ergo te omnis immundissime spiritus, omne Phantasma, omnis incursio satanæ, in nomine Jesu Christi † Nazareni, qui post lavacrum Jordanis in desertum ductus est, & te in tuis sedibus vicit, ut, quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formavit, tu desinas impugnare, & in homine miserabili non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ergò Deo † qui te & malitiam tuam in Pharaone & in exercitu ejus per Moysen servum suum, in abyssum demersit. Cede Deo † qui te per fidelissimum servum suum David de rege Saüle spiritualibus canticis pulsum fugavit. Cede Deo † qui te in Juda Iscariothe proditore damnavit. Ille enim te divinîs † verberibûs tangit, in cujus conspectu cum tuis legionibus tremens & clamans dixisti: Quid nobis, & tibi Jesu Fili Dei altissimi? venisti huc ante tempus torquere nos? ille te perpetuis flammis urget, qui in fine temporum dicturus est impiis: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Tibi enim impie, & angelis tuis vermes erunt, qui nunquam morientur. Tibi & Angelis tuis inextinguibile præparatur incendium, quia tu es princeps maledicti homicidii, tu auctor incestûs; tu sacrilegorum caput, tu actionum pessimarum magister, tu hæreticorum doctor, tu totius obscœnitatis inventor. Exi ergò † impie, exi † scelerate. Exi cum omni fallacia tua, quia hominem templum suum esse voluit Deus. Sed quid diutiùs moraris hìc? da honorem Deo Patri omnipotenti

tenti † cui omne genu flectitur. Da locum Domino Jesu † Christo, qui pro homine sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui † sancto, qui per beatum Apostolum suum Petrum te manifestè stravit in Simone mago: qui fallaciam tuam in Anania & Saphira condemnavit, qui te in Herode rege honorem Deo non dante percussit; qui te in mago Elyma per Apostolum suum Paulum cæcitatis caligine perdidit, & per eundem de Pythonissa verbo imperans exire præcepit. Discede ergò nunc † discede † seductor, tibi eremus sedes est, tibi habitatio serpens est: humiliare, & prosternere. Jam non est differendi tempus. Ecce enim dominator Dominus proximat citò, & ignis ardebit ante ipsum, & præcedet & inflammabit in circuitu inimicos ejus, si enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridere, ille te ejicit, cujus oculis nihil occultum est. Ille te expellit, cujus virtuti universa subjecta sunt. Ille te excludit, qui tibi & Angelis tuis præparavit æternam gehennam: de cujus ore exibit gladius acutus: qui venturus est judicare. &c. ℟. Amen.

Prædicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti possunt, donec obsessus sit omninò liberatus.

Juvabit præterea plurimùm, hæc, quæ infrà notantur, vel aliqua eorundem, super obsessum devotè dicere sæpéque repetere.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c. Credo &c.

Canticum B. V. M. Luc. 1.

Magnificat anima Dominum &c.

Canticum. Zach. Luc. 1.

Benedictus Dominus Deus Israël &c.

Symbolum S. Athanasij. Ex prima.

Quicunque vult salvus esse &c.

Psalmus 90.

Qui habitat in adjutorio altissimi &c.

Psalmus 67

Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus &c.

Psalmus 69.

Deus in adjutorium meum intende &c.

Psalmus 53.

Deus in nomine tuo salvum me fac &c.

Psalmus 117.

Confitemini Domino, quoniam bonus &c.

Psalmus 34.

Judica Domine nocentes me &c.

Psalmus 30

In te Domine speravi &c.

Psalmus 21.

Deus, Deus meus, respice in me &c.

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me &c.

Psalmus 10.

In Domino confido &c.

Psalmus 12.

Usquequo Domine oblivisceris &c.

Oratio

Post liberationem.

ORamus te Deus omnipotens, ut spiritus iniquitatis ampliùs non habeat potestatem in hoc famulo tuo N. vel *famula tua N.* sed ut fugiat, & non revertatur. Ingrediatur in eum, vel in *eam* Domine, te jubente, bonitas, & pax Domini nostri JESU Christi,

Christi, per quem redempti sumus, & ab omni malo non timemus, quia Dominus nobiscum est. Qui vivit & regnat. &c. ℟. Amen.

§. 2.

DE SIGNIS, EX QUIBUS COGNOSCITUR aliquis esse Maleficiatus.

NB. *Præter signa Dæmoniaci supra pag. 133. assignata, sunt & quædam alia, quæ connotant personam fore Maleficiatam. Talia verò sunt.*

1. Maleficiati cibos pessimos appetunt, & super cibis substantialibus stomachantur.

2. Cibum sumptum retinere non possunt, à continuo vomitu molestati; quorum alii sunt indigesti.

3. Nonnulli sentiunt onus grave super stomachum, & videntur sibi habere bolum in orificio stomachi, vel aliquid instar boli à stomacho ascendere ad guttur, quod evomere videntur, & tamen ad pristinum locum descendit.

4. Quandoque aliquibus oris ventriculi morsus accidit; alii econtra frequentem pulsationem in collo, vel dolorem in renibus sentiunt. Aut præter naturam iis inest continuus dolor in capite, vel cerebro, propter quod videntur gravari, perfrangi, & perforari.

5. Maleficiati affligitur cor, ita, ut videatur lacerari à canibus, à serpentibus morderi, vel clavo seu acu transfigi, constringi, & suffocari.

6. Aliquando omnes partes capitis tumefiunt, aut talem circa totum sentiunt lassitudinem, ut vix se movere possint.

7. Nonnullis accidunt subitanei dolores frequentes, quos dum nesciunt exprimere, emittunt clamores; quandoque ab iisdem doloribus interficiuntur.

8. Aliis extenuatur corpus, & ad nihilum redigitur ob extraordinariam maciem, viriúmque imbecillitatem cum summo languore.

9. Aliquando membra videntur flagellata, lacerata, ligata & constricta, præsertim cor & os.

10. Solet instar venti frigidissimi, vel etiam flammæ per ventrem aliquibus discurrere cum torsionibus acerbissimis in visceribus; quorum venter sic valdè & repentinè inflatur.

11. Gravantur multi Maleficiati a Melancholico humore, quorum aliqui ita infirmantur, ut nec loqui, nec cum hominibus conversari velint, soléntque etiam tales plerumque esse desiccati.

12. Veneficiô læsi solent habere oculos constrictos, cutem totam, præcipuè faciem ùt plurimùm flavo colore, vel cinericio suffusam.

13. Quando venefica ad visendum ægrotum accedit, solet infirmus gravi molestiâ affici, terrore & tremore corripi; si puer sit, statim plorare, oculósve ad fuscum colorem mutare, vel alias mutationes notabiles præseferre. Ubi tamen prudens Exorcista sibi caveat ejusmodi agnita signa parentibus, aliisque præsentibus indicare ob occasionem scandali, malæ suspicionis, iræ, odii, & similium incommodorum. Ipse autem pro discretione sua illis uti poterit in suum bonum finem. Quoad pueros maleficiatos inquirantur lectuli eorum.

14. Notissimum Maleficii signum est, quando periti Medici nequid certi de afflicti morbo nôrunt, vel possunt judicare; aut si Medicamenta applicata non juvent, imò malum potiùs augent.

15. Aliquando Maleficii signa non habentur nisi ex circumstantiis & suspicationibus, utì in Maleficiis ad odium, amorem, sterilitatem, tempestates, vel circa vim generativam, aut circa bestias. Plura hac in re videre est *apud Del Rio fol. 966. & in complemento art. Exorc. Zacharia Vicecomitis tàm quoad Dæmoniacos quàm maleficiatos pag. mihi* 633. *& seqq.*

EXORCISMUS
Pro Maleficiato in proprio Corpore.

NB. Factâ præparatione, in initio præscriptâ, & aliis de more servatis Sacerdos, adstantibus respondentibus, legat Litanias ordinarias de omnibus Sanctis. *in fine.* Pater noster. Ave Maria, &c.

℣. Exaudiat te Dominus in die tribulationis,

℟. Protegat te nomen Dei Jacob.

℣. Mittat

℣. Mittat tibi auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tueatur te.
℣. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.
℟. Nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.
℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dominus vob. &c.

Oremus.

OMnipotens æterne Deus, quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam; multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

INterveniensibus Domine sanctâ Mariâ Virgine Matre tua & omnibus Sanctis huic famulo tuo N. (*vel famulæ tuæ N.*) auxilii tui ostende virtutem, ut destructis adversitatibus insidiisque Diabolicis universis securâ deinceps tibi serviat libertate. Qui cùm Patre & Spiritu S. &c. ℟. Amen.

Oremus.

OMnes sancti tui quæsumus Domine, nos ubique adjuvent & dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, iter, actus, & voluntates nostras in salutis tuæ prosperitate dispone, & huic famulo tuo (*vel famulæ tuæ*) pacem, & eisdem intervenientibus à dæmonum infestatione requiem concede. Per Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

Oremus.

PRotege Domine hunc famulum N. (*vel famulam N.*) & Apostolorum tuorum Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum patrocinio confidentem perpetuâ defensione conserva. Per C: D. N. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens clementissime Deus, & bonitatis infinitæ, qui secundùm multitudinem sapientiæ & misericordiæ tuæ, quos diligis, castigas; & flagellas omnem filium, quem suscipis: te suppliciter invocamus, ut huic famulo tuo N. qui in corpore suo membrorum debilitatem & dolorem patitur, gratiam tuam conferre digneris, ut, quidquid ab eo humanâ fragilitate peccatum, ignoscere; quidquid diabolicâ in eo pravitate corruptum aut violatum est, purgare, restituere, sanare digneris, nocumentô omni & dolore sublatô, cunctísque Malignorum Spirituum pestiferis Machinamentîs procul depulsîs.

Miserere Domine contritionis & pœnitentiæ; miserere gemituum & lacrymarum illius, cunctorúmq; circumstantium gloriam tuam & misericordiam pro illo humiliter implorantium: & non habentem fiduciam nisi in misericordia tua, ad tuæ gratiam reconciliationis clementer admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui facturæ tuæ piô semper dominaris affectu: inclina, quæsumus, aurem tuam supplicationibus nostris; & famulum tuum adversâ corporis valetudine laborantem clementer visitare, oculísque tuæ miserationis respicere digneris cœlestémque ei, & salutarem medicinam impendere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium: auxilii tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem; ut ope misericordiæ tuæ adjutus, Eccle-

siæ

ſiæ tuæ incolumis repræſentari mereatur. Per Chriſtum dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

PReces famuli tui, quæſumus Domine, clementer exaudi, ut qui juſtè pro peccatis ſuis affligitur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui B. Petrum à vinculis abſolutum, illæſum abire feciſti, famuli tui N. in afflictione conſtituti vincula abſolve, eúmque mente & corpore illæſum abire concede. Per C. D. N. ℟. Amen.

Exorciſta nunc infirmum aquâ aſpergens ſtans ſuper eum legat ſequentia:

Lectio Libri Exodi, c. 7.

IN diebus illis: ingreſſi ſunt Moyſes & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ſicut præceperat Dominus: tulitque Aaron virgam coram Pharaone & ſervis ejus, quæ verſa eſt in colubrum, vocavit autem Pharao ſapientes & Maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter, projecerúntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in Dracones, ſed devoravit virga Aaron virgas eorum. Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. *Deo gratias.*

Lectio S. Evangelii ſecundùm Marcum, c. 16.

IN illo tempore: recumbentibus undecim diſcipulis apparuit illis JEſus, & exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangeli-

 um

um omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur: signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si Mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et Dominus quidem JEsus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. ℟. *Laus tibi Christe.*

Per Evangelica dicta tollantur & destruantur in hoc famulo Dei N. omnia diabolica opera. ℟. Amen.

Ex Psalmis,

DIsperdat Dominus universa labia dolosa & linguam magniloquam.

Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.

Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Sicut cera, quæ fluit, auferentur, supercecidit ignis & non viderunt solem.

Quoniam brachia peccatorum conterentur; confirmat autem justos Dominus.

Nisi conversi fueritis, gladium † suum vibrabit, arcum suum † tetendit, & paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis, sagittas † suas ardentibus effecit.

Hic famulus N. accipiat bene † dictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

Dirumpamus vincula † eorum, & projiciamus † à nobis jugum ipsorum. †

Bene-

Bene✝dicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.

NB. Possunt etiam recitari hi Psalmi:

Psalm. 4. Qui habitat in adjutorio, &c.
Ps. 30. In te Domine speravi. &c. *Ex Completorio.*

Exorcismus.

EXorcizo te N. Corpore infirmum, sed per Spiritum sanctum ex sacri baptismi sacramento renatum per Deum vivum ✝ per Deum verum ✝ per Deum sanctum ✝ per Deum, qui te primùm de terra creavit, & postea Satanæ fraudibus perditum, pretioso sanguine suo redemit, ut effugiat atque discedat à te omnis phantasia, nequitia, ac versutia diabolicæ fraudis, omnísque spiritus immundus adjuratus per eum, qui judicaturus est vivos & mortuos & sæculum per ignem. ℟. Amen.

ET tu maledicte Satana, quisquis huic famulo Dei N. per quoscunque, vel quomodocúnque læsionis aliquid intulisti, recognosce sententiam tuam: da honorem & gloriam Deo vivo & vero: da honorem Jesu Christo filio ejus Domino nostro: da honorem spiritui sancto paraclito, ut cum omnibus noxiis & maledictis operibus & conatibus tuis, ab hoc servo Dei ad imaginem ejus facto, & pretioso sanguine Christi filii ejus redempto, confestim abscedas, nec ampliùs ei vel rebus ipsius diutiùs nocere præsumas. Per eundem Deum & Dominum nostrum JesumChristum. &c. ℟. Amen.

Deinde aspergat aquâ benedictâ.

§. 3.

DE DISPOSITIONIBUS

Requisitis in Maleficiato, ut liberetur à Maleficio.

NB. *Illæ dispositiones, quæ requiruntur in Exorcista, ut efficacem reddat suam potestatem, requiruntur in Maleficiato magis, quàm in quolibet alio. Res verò hæc, ut aliquo pacto ordinetur, distinguenda est in* 4 *partes: nimirum, quomodo Maleficiatus disponi debeat in iis, quæ spectant* 1mò *ad Deum.* 2dò *ad Exorcistam.* 3tiò *ad dæmonem.* 4tò *ad se ipsum, Itaque*

Primò: Ex iis, quæ spectant ad Deum, fides & fiducia necessaria multò magis est Maleficiato quàm ipsimet Exorcistæ. Unde, cùm Christus Dominus dixit Apostolis: eorum incredulitatem fuisse causam, cur non potuerint ejicere dæmonem à puero illo lunatico: *Propter incredulitatem vestram*, ùt anteà observatum fuit, multò acriùs increpavit parentem ejusdem pueri, & qui eum comitabantur, appellans eos generationem incredulam & perversam, ac tædio affectus cum illis versandi, illósque diutiùs tolerandi ait: *O generatio incredula & perversa, quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos: Matt* 17. Interea debet Maleficiatus attentè considerare, Deum esse summè *Potentem*, ut expellat mille legiones dæmonum, Etiamsi à totidem vexaretur, absque minima eorum resistentia; & esse infinitè *Sapientem*, ut cognoscat omnes fraudes & actus, quibus se vellent celare illi hostes infernales; & esse infinitè *Bonum*, ut res à se creatas eruat à quolibet malo; & esse summè *Fidelem*, ut stet promissis; quare cùm fidem suam obstrinxerit, affirmans ad expellendos spiritus rebelles ab obsessis corporibus, se opem suam præbiturum iis præceptis, quæ à suis ministris proferentur. *In nomine meo Dæmonia ejicient. Marc.* 9. *v.* 37. *Dedi vobis potestatem super omnia Dæmonia Lucæ* 9. Dubitari non potest: quin hæc promissa sit impleturus. Ab hac consi-

consideratione orietur illa fiducia; quam etiam superiùs diximus significari nomine *Fidei*, & est quædam robusta spes auxilii divini orta in voluntate ab actibus repetitis ejusdem fidei, per quam anima pro certo habet Deum non solùm posse ob suam omnipotentiam, sed etiam velle ob suam bonitatem & fidelitatem concedere, quidquid expediet saluti nostræ. Tandem hæc ipsa dispositio fidei & fiduciæ semper augescit, si Maleficiatus confugiat ad implorandum precibus auxilium divinum, magis enim, magísque indies confidet, Deum adfuturum auxilio supplicantis, & impugnaturum tartareos illos hostes, qui odio habent, & blasphemant creatorem suum, & incitati hoc odio ad res creatas lædendos sese convertunt.

Hæc autem dispositio Fidei & fiduciæ debet *Secundo Loco* à Maleficiato extendi erga Exorcistam videlicet; illum esse Ministrum Dei, & ejus actiones præcipuè tribuendas Deo, in cujus nomine ille agit & imperat: Quare Dæmones coguntur illi obedire; si enim non obedient Ministris Dei, non obedirent ipsi Deo. Proinde sicut Deus certò concurrit cum sacerdote absolvente pœnitentem, cùm hic sit sufficienter dispositus; ita pariter certò concurrit ad liberationem Maleficii, quotiescunque nulla deest ex debitis dispositionibus; neque verò si quando contingat, ut præcepta Exorcistæ suo careant effectu, debilitari propterea debet Fides, vel fiducia in Exorcista vel in Maleficiato, imò debet potiùs augeri. Siquidem quòd Dæmones vel illi cunctentur, vel parati sint, vel omninò detrectent hanc obedientiam, prorsus oritur à majori vel minori eorum dispositione. Quòd autem non semper fiat, ut invocato nomine Jesu Dæmon egrediatur, minima Fides ipsius invocantis est in causa; nam si perfectè credidisset, hæc & majora fecisset. Ita affirmat *Alphonsus de Castro* magni nominis Author, & probat adnotando promissionem: *in nomine meo Dæmonia ejicient*: pertinere ad perfectam fidem juxta antecedentium Verborum sensum: *Signa autem, qui crediderint, hæc sequentur in nomine meo. &c.* Et ad hos solos in fide perfectos Dei promissio pertinere videtur. Eodem modo *S. Cyprianus*, adjurati Dæmones, ait, vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis advocat.

Præterea erga Exorcistam perfecta intellectûs & voluntatis & executionis obedientia necessaria est; & ita agnoscendo eum, ùt Ministrum Dei, & omnia illius jussa diligentissimè exequen-

exequendo, voluntatem ſuam ad Exorciſtæ voluntatem accommodare debet Maleficiatus, exſpoliando ſe, ut ita dicam, omni propria voluntate, ut majora adimat Dæmoni arma, quibus nos oppugnat, nempe noſtram inordinatam voluntatem; proinde etiam ipſe Maleficiatus confirmet integre præceptum quodlibet, quò Exorciſta imperat Dæmoni, nec quolibet interno animi motu averti ſe ſinat ab eo, quod Dei Miniſter proponit, vel imperat; imò expediet etiam hos ipſos animi motus apertè manifeſtare, ut Dæmon majori probro afficiatur, ejúsque Machinamenta ad nihilum redigi poſſint.

Tertio loco extendet Maleficiatus hanc ſuam fidem erga vires Dæmonis, ſibi in animum inducens, etſi malignus ille naturaliter tantâ polleat vi, nihilominus propter peccatum ipſius, à Jeſu Chriſti pœnis & morte imminutam eſſe hanc illius poteſtatem, ita ut exerceri non poſſit juxta furorem & rabiem Dæmonis, ſed ſolùm juxta divinæ providentiæ permiſſionem, ad divinam gloriam, & ad rerum creatarum bonum & commodum, ùt antea dictum eſt.

Poſtremò. De ſe ipſo credere debet Maleficiatus, malum ſuum a vexatione Diabolica oriri, quando id illi affirmatum fuerit ab Exorciſta, alioquin, ſi infirmitatem ſuam a cauſis naturalibus partam putare velit, illos Fidei & fiduciæ actus producere non poterit, qui requiruntur, ùt vidimus, tanquam diſpoſitio ad efficaciam præceptorum, quæ ab Exorciſta contra Dæmonem, ſed potiùs una cum Dæmone contra illum proferuntur. Et quoniam plerumque evenit, facultatem aliquem vexandi factam Diabolo, eſſe in pœnam alicujus criminis; Maleficiatus diligenti Confeſſione & repetitis contritionis actibus non ſolum omnem culpam gravem, ſed peccatorum reliquias deſtruere omni ſtudio curare debet. Refert *Joannes Diaconus in vita S Gregorii* tres à Dæmone agitatos, ſimul ac S. Pontifici crimina ſua Confeſſi fuerunt, protinùs liberatos fuiſſe; cùm verò unus ex illis octies negâſſet furtum à ſe factum, ait idem Author octies ab agitatione Diabolica vexatum fuiſſe, donec patefacto crimine, redditâque re per furtum ſublatâ Dæmon receſſerit. Quod ſi curandum eſt, ut veteres culpæ deleantur, multò magìs cavendum, ne novæ admittantur: quare Maleficiatus non ſinat ſe à Dæmone decipi, credens Maleficium ab hoc vel illo homine ſibi factum fuiſſe; *primò* quia

non

non solùm facile est in hoc decipi, imò etiam in re tanti ponderis, & quæ secum trahit tantum dedecus & infamiam, facile est temerè judicare; *deinde*, quia facile est, odii, vindictæque actus concipere; *tandem*, quia quicunque fuerit Maleficus, si Maleficiatus fidem & fiduciam ante explicatam habuerit, & Exorcistæ Mandatis perfectè obedierit, omne Maleficii ligamen statim solvetur, atque omnis Diabolica vexatio cessabit.

FORMULA EXORCIZANDI Maleficiatos quoscunque

NB. *Ab exorcizaturo legantur Litaniæ de* B. M. V. *in fine* Ave Maria.

Oremus.

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosâ Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitiâ. Per C. D. N. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui salutis æternæ, B. Mariæ Virginitate fœcundâ, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Auctorem vitæ suscipere D. N. J. C. F. tuum, qui &c. ℟. Amen.

Oremus.

O Maria Virgo, quæ contrivisti caput serpentis, fugatrix Dæmonum, Maleficiorum dissipatrix: ne hæc creatura ad imaginem & similitudinem filii tui creata ulteriùs crucietur, succurre; & preces nostras, quas auribus tuæ pietatis & misericordiæ offerimus, exaudi, ut desideratam sanitatem accipere mereatur, propitio Jesu Christo filio tuo crucifixo, regnante in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Asperga,

Aspergat maleficiatum aquâ benedictâ & stando legat sequentia.

Lectio Libri Ecclesiastici c. 36.

MIserere nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum & immitte timorem tuum super gentes, quæ non exquisierunt te: ut cognoscant, quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua. Tu autem Domine miserere nobis. ℞. Deo gratias.

Hic legitur Evangelium St. Joannis.

In principio erat verbum, &c. *vide pag.* 84.

℞. Laus tibi Christe. *Deinde dicitur.*

Per Evangelica verba tollantur & destruantur in N. omnia diabolica opera. ℞. Amen.

Ex Psalmis

Ad Consolationem Afflicti.

Exspecta Dominum, & custodi viam ejus, & exaltabit te, ut hæreditate capias terram: cùm perierint peccatores, videbis.

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultûs mei, & Deus meus.

Exspecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum & sustine Dominum.

Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem Justo.

Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Domi-

Dominus custodiat te ab omni malo , custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum . & exitum tuum ex hoc nunc & usque in sæculum.

Scuto circumdabit te veritas ejus , non timebis à timore nocturno.

Ecce non dormitabit neque dormiet , qui custodit Israel.

Custodit Dominus omnia ossa eorum , unum ex his non conteretur.

Ex Jerem. 17.

Sana me Domine , & sanabor ; salvum me fac , & salvus ero , quoniam laus mea tu es.

Non sis mihi formidini , spes mea tu in die afflictionis.

Confundantur qui me persequuntur , & non confundar ego : paveant illi , & non paveam ego : induc super eos diem afflictionis , & duplici contritione contere eos Domine Deus noster.

Oremus.

DEus , qui B. Petro Apostolo tuo collatis clavibus regni cœlestis , ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti : concede , ut intercessionis ejus auxilio à peccatorum nexibus , & diaboli vinculis N. hic famulus tuus [*famula tua*] liberetur ; Per eundem , qui venturus est. &c. ℟. Amen.

Exorcismus.

COnjuro vos † dæmones infernales , spiritus maligni , qui ad inferendum malum huic creaturæ Dei fabricâstis , & conservatis maleficium in ea , per Deum Patrem † omnipotentem ; & Filium † ejus unicum D. N. J. C. & Spiritum S. Paraclitum † ab utro-

utroque procedentem, & vobis præcipio, ut omnibus incantationibus, signaturis, ligaturis statim sublatis, ab hac creatura Dei, & ab omnibus rebus ejus recedatis, atque liberam ab omni maleficio, incantatione & ligatura relinquatis, per sacratissimum, tremendum, horrendum & glorificandum Nomen Jesu, & per virtutem ejus, qui est *Alpha* & *Omega*, Principium & Finis, qui ambulat super pennas ventorum, qui omnia ex nihilo suâ omnipotente virtute creavit, per quem omnes Sancti & Electi Dei beatificantur: ante cujus faciem ignis præcedet, & inflammabit vos inimicos suos. Conjuro † vos malignos dæmones inimicos triumphatoris Jesu Christi Nazareni, ut cessetis hanc creaturam Dei N. vestrîs Maleficiîs lædere, per potentiam illius, qui vos rebelles à consortio SS. Angelorum exclusos ad sedes tartareas damnavit, igne & sulphure cruciandos, ut protinùs destruatis, & ad nihilum redigatis omnia Maleficia, incantationes, ligaturas & omnes vestras noxias pactiones, quibus hanc creaturam Dei infestare & affligere præsumpsistis, eámque liberam & sanam, sinè ulla læsione animæ & corporis imposterùm permittatis, ut mente & corpore pariter expedita liberam servitutem suo exhibeat creatori. Qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergatur Maleficiatus.

---

§. 4.

METHODUS DISPONENDI MALEFIciatum ad liberationem.

NB. *Hac in parte magis quàm in qualibet alia laborandum est Exorcista, ut finem sibi propositum ob-*

tineat

tineat liberando Maleficiatum : Excitanda proinde est in illo fides & fiducia *in duplici via nempe tum cognitione vividâ causarum , unde diximus oriri fidem & fiduciam hujusmodi ; tum experientiâ.*

1mò. Revocet itaque in memoriam Exorcista munus Ministri Dei, quod obit, certámque credat promissionem illam, quâ Deus se potissimè auxiliaturum spopondit præceptis in suo nomine factis, & memor sit potestatis sibi communicatæ in Sacramento *Ordinis* ; & ita pro certo habeat Dæmones resistere non posse, quando neque ex parte Exorcistæ neque Maleficiati Fides deest ; eôdem modô magnam in Maleficiato fiduciam excitare curet ; ut ille certò credat adfuturum sibi auxilium divinum Memorare itaque poterit ; quantô amore Deus prosequatur res à se creatas ; quàm facile sit illi eas adjuvare ; quomodo promiserit à se id præstitum iri opportuno tempore ; quomodo dum in terris degebat adhuc mortalis, nullum unquam rejecerit, qui ad illum confugerit imploraturus auxilium, præsertim contra Dæmones.

2dò. Hæc eadem dispositio Fidei & fiduciæ augenda est in Maleficiato per experientiam hoc modo : imperetur, ut dictum est, Dæmoni, ut aliquâ ex vexationibus aliàs consuetis torqueat hominem illum ; postea verò imperetur, ut desistat : tartareus enim Spiritus exequetur id subitò, dummodò adsit in Exorcista & in Maleficiato debita Fides. Hic itaque videns hanc obedientiam promptam, magìs magísque augebit fidem, majorémque spem concipiet suæ liberationis, dum considerat eum, qui obedientes sibi Dæmones reddere potest in re illa particulari, eandem ab illis obedientiam exacturum esse in alia re; & si eos possit cogere, ut aliquid agant, cogere etiam posse, ut omnino recedant ; imò hac eadem de causa etiam poterit Exorcista jubere Dæmones obedire eidem Energumeno, qui proindè hoc præceptô nixus, ut vivâ Fide munitus, formans pollice Crucis signum supra vexatam illam partem corporis ita dicat ;

In Nomine Jesu Christi impero tibi dæmon maledicte, ut discedas subitò ab hac parte, in qua modò me vexas, ità ut cesset repentè omnis dolor.

Huic præcepto obediet Dæmon, & ita obediendo magis magísque demonstrabit Exorcista Authoritatem, & ipse Maleficiatus disponetur magìs ad liberationem.

NB. Non erit verò semper in omnibus hominum generibus par hic labor, ut in eos inducatur debita dispositio. In aliquibus enim, ùt in Rudioribus erit minor; in aliis major, præsertim in tribus hominum generibus, scilicet in magnis peccatoribus, in hominibus duræ cervicis, & naturaliter obstinatis, & in iis, qui à primis suæ ætatis annis sunt à Dæmone obsessi; ab his postremis incipere placet.

Ideò Christus Dominus interrogare voluit Patrem Juvenis à Dæmone, & quidem muto vexati: *quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* *Marci* 9. Ut infelix genitor dum confiteretur, Filium suum hujusmodi calamitati assuevisse tanquam consueto naturæ morbo, cum usque à primis annis in eam incidisset, majorem agnosceret necessitatem ad Christum confugiendi, & magìs vivam fidem conciperet: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. ibidem.* ℣. 22. Proinde cum genus hoc Maleficiatorum assueverit assentiri cuicunque rei, quam excitando phantasiam objicit Dæmon. Et cum habitum fecerit oppositum fidei, & docilitati in Maleficiato requisitæ, necesse est destruere hujusmodi habitum actibus contrariis valdè intentis, & iteratis, & præcipuè his duobus.

Primò. Confugiendo ad Deum. 2*dò* Detestando Dæmonem & ejus fraudes. Plurimùm tamen Proderit, si Exorcista aliquam precationem instituat, quæ ab ægroto sæpe sæpius recitetur maximô pietatis & Religionis sensu: satìs autem ad rem videtur esse ea, quæ proximè sequitur:

Domine mi Jesu Christe, refugium meum, consolatio mea, meæque animæ spes, per tui sanguinis merita ab hoc execrando spiritu me defendas, neq; tantas illi vires permittas, ut meam mentem, aliásque Potentias meas inferiores suis fraudibus & mendaciis turbet. Cordis mei imbecillitatem respice; malúmq; habitum consentiendi malignis inimici persuasionibus averte; & quoniam tuæ crucis virtute eum vicisti,

ore

oro, ut tuæ immensæ misericordiæ effectus experiar, ut in æternum te laudare valeam. Amen.

Pariter expediet aliquod breve dictum describere, frequenter dicendum, quô illum detestatur hoc ferè modo:

O execrande animarum deceptor! ô mei & tui Conditoris hostis! nunc à me discedas; tuis enim mendaciis fidem habere nolo. Discedas in nomine mei Domini Jesu Christi; cui cor meámque animam dono.

Hoc tempore formet sæpe pollice signum Crucis super cor, & supra quamlibet aliam partem, quam Dæmon vexaret; atque his actibûs assiduè iteratîs disponetur ad liberationem.

ALii verò, qui difficilè liberantur, quia difficilè sinunt se rectè instrui, sunt ij, qui naturaliter sunt obstinati; eòquod nunquam adduci possint, ut credant morbum suum oriri à Dæmone, ac proinde à medico, non ab Exorcista petendam esse orationem. Et quidem si quæ remedia spiritualia admittunt, si quos Exorcismos adhiberi sinunt, utrumque præstant in gratiam consanguineorum & amicorum hujusmodi remedia proponentium, non impulsi desideriô, ut per ipsa sanentur, deficiente prorsus in illis eâ fide & fiduciâ, quæ eorum curationi necessaria est. Quòd si, convicti ab experimentis, quibus Exorcista detegit Diabolicas operationes, hanc fidem concipiunt; vix discessit ille Exorcista, cùm eorum fides deficit, & iterum credunt, quæ sibi placent. Contra hujusmodi homines, præter orationis remedium, experientia adhibenda est; præcipiendum videlicet est Dæmoni, ut modò hominem hunc vexet, modò cesset à vexatione, & ita evidenter demonstratum est, operationem illam penitus esse Diabolicam. Ita quidem agendum est Exorcistæ, ut Maleficiatus assuefiat revocare ac removere talem vexationem, imperando Dæmoni in Nomine *Jesu Christi*, & conjungendo suam voluntatem voluntati Exorcistæ, sin autem aliquando Dæmones promptè sibi obedire non videat, vitio tribuat suæ Modicæ fidei, à quo Dæmon resistendi vim accipit. Proderit etiam ab Exorcista Maleficiati Domesticos in fide erudiri, ut ipsi quoquè persuadere

dere possint misero homini id, quod reverà est, cúmque adjuvare, ut infelicem conditionem suam agnoscat.

Tandem tertium hominum genus, quod peculiari instructione maximè indiget, sunt magni peccatores. Isti enim validiùs possidentur à Dæmone in suorum criminum pœnam. Horum remedium est Pœnitentia tum interior tum exterior, quâ divinæ Justitiæ satisfacientes suam obtinent liberationem, disponendo se ad recipienda illa efficaciora gratiæ auxilia, quæ requiruntur ad concipiendam vivam fidem, & robustam fiduciam, quas toties dixi necessarias esse, ut præcepta contra Dæmonem pronuntiata vim suam habeant, Præscribat itaque Exorcista huic hominum generi, ut contritionis actus sæpissimè eliciant, præterita scelera detestando; præscribat jejunium aliquod vel corporis quandam afflictionem ipsius viribus accommodatam; mandet, ut frequentiùs se se exerceant, sacra templa invisant, Sacramenta adeant, aliáque imperet, quæ magis animam Deo conjungunt, & corpori sunt molesta.

In præscribendis verò his aliísque animi corporísque exercitationibus caveat semper Exorcista, ne plùs æquô Maleficiatum oneret; alioquin illi animus salutísque recuperandæ voluntas deficiet. Imò animum illi semper addat, & cum eo agat vultu hilari & læto, non imitando illos, qui solent energumenos verberare, & injuriis onerare, dolorem dolori addentes, debitósque Modestiæ terminos excedentes. Eò igitur collimet Exorcista suâ Modestiâ, ut conculcetur Dæmon, quàm ut Maleficiatus affligatur. Proinde opportuniùs esse videtur contra Dæmonem ipsum agere, illum objurgando, eíque sua damna, suásque pœnas exprobrando, quod, cùm audierit ipse Maleficiatus, fidem suam excitabit, & augebit. Aliquam hìc formulam adjicio.

Nonne recordaris execrande Dæmon, te propter tuam superbiam æternâ ignei carceris pœnâ damnatum esse? an ignoras, te merum nihil esse, te nihil posse, nisi per Deum tibi liceret? imò ne capillo quidem rerum creatarum nocere posse Deo non permittente?

Nonne recordaris te à Cruce Christi Domini victum fuisse, nec esse, cur fallacias tuas formidet, qui in divina protectione confidit? licèt sim peccator, nihilominus non ignoras me esse Dei Ministrum eâque potestate præditum, ut etiam invitus mihi cogaris obedire, & me timere?

Hæc

Hæc aliáque ferè dicta prodere oportet, ut pudore afficiatur malignus Spiritus, & simul disponatur is ad liberationem, qui difficiliùs curetur.

Concludo hoc argumentum tradendo duo monita Exorcistis, qui adhuc essent inexperti: *primum* de loco. *alterum* de tempore exorcizandi.

Quoad locum, sicuti immorandum non est cum fœminis vel in loco solitario vel remotis arbitris, ut omne periculum evitetur; ita non expedit eligere publicum templum, quò magna concurrat populi turba, videndi magìs, quàm pietatis & Religionis studio, vel ubi modica multorum fides posset facilè inservire Dæmoni: ut validè ac diutiùs resistat. Proinde videtur locus aptior esse aliquod templum solitarium, vel nisi aliundè prohibeatur secretum oratorium, aut ejusmodi Maleficiati Domus, in qua ante aliquam sacram imaginem, & adstantibus aliquod ægroti amicis & consanguineis facilè poterit tam hos, quàm illum & in fide erudire, & habere amicos non contrarios operationibus & præceptis, quibus adjurandus est Dæmon.

Quoad tempus verò Exorcizandi nolunt aliqui id fieri æstate, neque autumno timentes, ne Dæmones aliquam contra campos tempestatem excitent: sed hac in re isti nimis tribuunt Dæmoni; quasi verò, si vim ille non haberet, ut contra Exorcistæ præcepta eo in corpore permaneat, quod semel insedit, inde expulsus nocere possit, & si Dei Minister malignum illum Spiritum cogere possit, ut discedat, non possit eundem cogere, ut absque ullo damno ac detrimento discedat. Quemadmodum igitur sicubi vetitum, ne palam & publicô Ministeriô Exorcizetur, obediendum est eô tempore, ita extra hanc circumstantiam non est valdè timendum, quandoquidem eâ fide iisdem præceptîs, & eâdem Authoritate adeò Dæmoni formidandâ, turbinis, grandinis, procellarúmq; nocumenta impediri possunt. Hoc quidem observandum est, *quantum ad tempus*, ne præceptis Dæmonem adjurare incipiamus, quô Maleficiatus est valdè perturbatus, tunc enim ille animum, non advertens instructioni necessariam fidem, non concipiet, neque incumbet, ut par est, ad sperandum in Domino. Eadem de causa neque Exorcista hujusmodi præcepta enunciare tunc aggrediatur, cùm ipse esset turbatus, vel mente summoperè vagetur, sed potiùs ipse se colligat, revocétque in mentem

tem potestatem in *Sacro Ordine* acceptam, postulet autem à Deo fiduciam inimico superando necessariam, & imprimis animi demissionem exerceat Christianam, propriam agnoscens indignitatem necessitatémque auxilii supernaturalis, ut ab illo bello victor redeat, atque his armis munitus audax, alacérque ad pugnam contra infernos Tyrannos prosiliat.

MODUS

Infirmandi Maleficium & coarctandi diabolum

NB. *Accipe modicum Rutæ benedictæ hâc benedictioni, quæ est contra Dæmoniacos ex Institutione S. R. Ecclesiæ & Decreto Trident. Concilii restituta & impressa Parisiis* 1595.

Benedictio Rutæ.

℣. Adjutorium &c. ℣. Dominus vobisc. &c.

Oremus.

BEne † dic Domine Jesu Christe, hanc creaturam Rutæ, & infunde ei per virtutem S. Cru † cis, tuam bene†dictionem cœlestem, ut ei, qui ex ea fumigatus fuerit, vel super se eam habuerit, nullus inimicus nocere possit, & in quibuscunque locis posita vel portata fuerit, ab his discedat, & contremiscat diabolus, fugiátque pavidus: & non præsumat ampliùs inquietare vel illudere creaturis tuis. Proinde supplico tibi Domine, ut S. Angelum tuum Raphaëlem mittas, qui expulit à Sara & Tobia dæmonem mortiferum, ut illum conterat, & disperdat de cunctis animabus colentibus Deum: & de balneis & de angulis & de lectulis, & de omnibus locis, in quibus Deo famulantes habitant, & requiescunt, vigilant & consistunt, nec valeat ampliùs inquietare, vel pavo-

pavores immittere super illos, quos sancti Chrismatis tui unctione fecisti munitos. Bene † dicaris igitur Ruta in nomine S. Trinitatis, Pa † tris omnipotentis, & Filii ejus unigeniti Domini N. Jesu † Christi & Spiritûs † sancti paracliti, ut sis exterminatio diaboli & omnium contubernalium ejus. Per eum, qui venturus. &c. ℞. Amen.

NB. *Modicum hujus Rutæ, unà cum thure benedicto pag 94. ad collum maleficiati appensa valet, cùm ad malefisium infirmandum, Diabolúmq; coarctandum, tum pro fumigatione contra maleficia.*

Sin autem desideres remedium liberativum, *aut* præservativum *ab infestationibus spectrorum ac dæmonum vexantium homines, jumenta eorúmq; habitacula, & ab insultibus maleficorum; eum in finem scribe super chartam* (*ut jam benedictam* pag. 34.) *aut illud* Breve pag. 36. *aut hæc verba in modum crucis:*

I
N ✠ R
I

QUi Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, nascens ex Maria Virgine, per ineffabilem pietatem, misericordiam suam piissimam, & per intercessionem ejusdem B M. Virginis & Angelorum, Sanctorum omnium maximè Apostolorum, & Evangelistarum suorum Joannis & Matthæi, Marci & Lucæ: ipsum quæso. ut dignetur me liberare & conservare ab omni infestatione Sathanæ & ministrorum ejus; qui cum Patre & spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde accipe Sal exorcizatum, Ceram de Cereo Paschali, Rutam illam benedictam, aut aliam Herbam v. g. Absynthium, Rosas &c. quarum benedictio, mutatis mutandîs, coincidit cum illa, quæ habetur pag. 104. *&* 106. *cuncta charta involuta suspende ad Collum*

lum patientis , vel in loco vexato , & liberabitur seu conservabitur gratiâ Dei.

METHODUS
Ejiciendi Dæmonem per ultimum præceptum expulsivum.

FInis omnium Exorcistæ operationum est expellere dæmonem per authoritatem in Ordine acceptam , ut per præceptum in nomine *Jesu Christi* pronuntiatum ; ideo multò magìs cautè procedendum est illi , ne intempestivè præceptô hujusmodi prolatô suâ hac authoritate abutatur

At quomodo tempus hoc agnoscetur ? duobus modis. *Primò* Si facilè & assiduè dæmon obediat alteri præceptorum generi , nempe *Lenitivo* , à quo tùm maleficiati dispositio conjicietur , tùm *Imminutivo* Virium , quibus dæmon resistere posset. Sin aùtem statim , ac Exorcista spiritui maligno imperat , ut in partem secedat , vel in aliud corporis membrum se transferat , ille obediat , & si hujusmodi obedientia videatur statim , ac ipse quoque maleficiatus hoc ipsum imperat , signum erit , omnia esse in ultima dispositione ad perfectam liberationem.

Secundò. Hæc dispositio cognosci potest interrogando ipsum Energumenum, & eam colligendo ex illius responsis. Prius igitur Exorcista interroget , quidnam in phantasia objici sibi sentiat à dæmone , & quomodo ei resistat ? dæmon enim ad consuetas suas fraudes confugiens maleficiatorum menti suggerere solet *1mò* Ipsum esse obstinatum & nunquam fidem habiturum. *2dò* Dæmonem simulaturum discessionem ; nunquam autem verè discessurum. *3tiò* Discessurum quidem sed non modò *4tò*. Nolle Deum , ut discedat. *5tò* Oportere prius maleficii signa reperire *6tò*. Denique , si discedere coactus fuerit , allaturum lethales morbos maleficiato

Hujusmodi opiniones excitat malignus Spiritus in animo maleficiati , ut fidem impediat ; si autem illis resistat maleficiatus , clarè conjicietur eum esse proximè dispositum ; ut liberetur ; si enim Dæmones amplius non timebit , ac contemnet risu concipiens has ipsas opiniones , nullóque pacto responsum illis dare curabit , & contra Dæmonem protestabitur , nolle se loqui cum Apostata rebelli, benè dispositus erit; præterea si liberari

berari maximòperè optabit, & spontè & humiliter de hoc Exorcistam rogabit, & si mentem semper magìs tranquillam, conscientiam semper magìs claram, loquendi usum semper magís liberum experietur, indicium erit eum ad liberationem benè esse dispositum.

Pariter ejusdem liberationis signum certum colligi poterit ex modo, quo energumenus se gerit erga exorcistam, nempe, si magnam illi exhibebit reverentiam, quoties eum videt, si gratias aget laborum, quos ille ad eum liberandum toleravit; si de sua liberatione loquitur tanquam de re certa, desiderans, ut tempus illud citò adveniat, si demonstrabit eum Dei Ministri loco habere, magníque facere, ùt est, Authoritatem ejus & in malignos Spiritus potestatem; tandem eadem dispositio conjicietur ex iis, quæ spectant ad Deum, nimirùm, si Maleficiatus indignum se putet, qui liberetur seque commendabit piorum virorum precibus, ut hanc gratiam obtineat, si Domino gratias aget, cùm meliùs se habuerit, si sermones libenter audiet de illis causis, quibus augetur in corde nostro major fides ac confidentia in divino auxilio, & in divinis promissionibus. Hic est ille status, in quo constitui debet maleficiatus priùs quàm Exorcista utatur ultimo præcepto expulsivo. Cum igitur huc pervenerit Maleficiatus, & ab Examine antecedenti, & ab experimentis factis agnoscatur tùm ejus dispositio, tum obedientia, quâ maligni Spiritus parere coguntur præceptis Exorcistæ, statuetur dies liberationi destinata; multùm autem expediet præmittere ipsi aliquod jejunium, vel aliquam corporis afflictionem, & pium aliquod orationis exercitium, ut impetretur tum Exorcistæ, tum maleficiato totum id, quod deficeret fidei & fiduciæ, quæ inferno hosti expellendo est necessaria; & ita intelligendum est, quòd Christùs Dominus dicit: *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione & jejunio.* Quamvis enim, absolutè loquendo ad ejectionem hujusmodi sufficiat potestas conjuncta cum dispositionibus, de quibus hactenùs dictum fuit; nihilominus necesse est, aliquando prædictas dispositiones esse, nisi aliquando voluntariæ castigationis & pietatis exercitio locus illis præparetur.

Cum tandem aderit hora perficiendæ rei, duabus fraudibus solet Dæmon opus perturbare:

Prima fraus est, varios serere sermones loquendo per os energumeni, ut, quoad ejus fieri potest, Exorcistam illaqueet, cogat-

cogátque mente vagari, quare proderit illi silentium indicere, imitando Christum Dominum, ut refert *D. Lucas Cap.* 4. *non sinebat ea loqui* atque hoc tunc maximè agendum est, cùm Dæmones Exorcistam laudarent, quod facere plerumque solent, ut eum ad jactantiam & superbiam inducant, similémque sibi reddant, atque adeò indignum, per quem Deus Miracula & prodigia efficiat.

Altera fraus est, Maleficiati phantasiam perturbare, ne aures advertat, eósque producat voluntatis actus, qui requiruntur. Hoc impedimentum quoque tollitur præcepto; ut & majorem vim habeat, proderit illud vulgari linguâ pronuntiare, ut intelligatur, & ab ipso Maleficiato confirmetur.

In nomine Jesu Christi impero tibi, O execrande dæmon! sive unus sive plures estis, ut, cùm debeatis ab hoc homine discedere, eum in statu naturæ suæ consentaneo relinquatis, ejus potentias non turbetis, neque sensus interiores neque exteriores, nec ullam ejus corporis partem crucietis, neque ullum sive illi, sive aliis, vel ante vel post discessum damnum & nocumentum inferatis.

Tandem utile erit curare, ut Maleficiatus fidei suæ breviter & frequenter innovet actus hôc modô:

Credo à Jesu Christo & à S. Ecclesia traditam esse Exorcistæ, cùm ordinem susciperet, potestatem in vos omnes, ô execrandi dæmones! & per ipsum, quando ego meis partibus non desim, vos omnes hinc certò ejiciendos esse, ita, ut nullam me ampliùs vexandi vim habeatis.

Credo etiam vos ô nefarii spiritus! cogendos esse, ut etiam mihi obediatis, vósque discessuros esse in virtute illius promissi, quo Christus Dominus pollicitus est, dæmones expellendos esse à quolibet, qui in ejus SS. Nomine vividam fidem habeat. *In Nomine meo Dæmonia ejicient. Marci 16.*

Credo

Credo insuper vos, ô maligni! victos esse pœnis & morte Jesu Christi; nec habituros vim ullam me deinceps vexandi, si ego in ejus nomine divinâ firmatus protectione perfectè confidam.

Credo Deum ùt omnipotentem posse, ùt infinitè sapientem scire, ut infinitè bonum & fidelem in suis promissis velle liberare me à vestris viribus ô tartarei & execrandi spiritus! qui adeò studetis nocere tùm corpori tùm animæ meæ, scio me omne malum meruisse peccatis meis, sed modò eorum me pœnitet, & hac ipsa de causa adimi vestræ potestati desidero, ne iterum ad peccandum redeam.

Absolutis his imperet maleficiato Exorcista, ut genua flectat unà cum omnibus adstantibus, atque invocatô S. Spiritûs auxiliô, & SS. Virginis, Angeli Custodis, aliorúmq; SS. Patronorum intercessione ita præceptum pronunciet.

Ego Minister Jesu Christi & Ecclesiæ in nomine SS. Trinitatis, atque in virtute ejus Jesu Christi impero vobis ô Spiritus execrandi, quotquot hactenus vexatis hominem hunc à Deo creatum, ut nullâ interpositâ morâ ab eo discedatis, neque ad eum sive interiùs sive exteriùs vexandum ampliùs redeatis, neque ullam in ejus corpus potestatem ampliùs habeatis, quia sic vobis impero in Nomine Patris, & Filii & Spiritûs S.

Præceptum hoc fide maximè vivâ proferendum est ab Exorcista; prius tamen revocet in memoriam Jesu Christi promissa, munus, quo tunc fungitur, in quo quidem merum est instrumentum Christi Domini, qui divinâ suâ omnipotentiâ totum opus efficere debet: quare Dæmoni imperet quasi Victoriæ securus, & contra illum agat tanquam Judex contra reum ligatum & convictum. Nihilominùs quoniam suæ potestatis effectus à dispositionibus toties memoratis dependet, ut certior fiat, an Dæmon ab homine illo verè recesserit, jubeat eum sedere, hilaríque vultu dicat, se quidem judicare, eum jam

curatum esse, majoris tamen curationis causâ ultimum adhuc experimentum faciendum esse, ut, si quis error intervenisset, suppleri possit: interroget igitur hominem, an certò credat fore, ut Dæmones obedire debeant, & respondente illo, à se id planè credi, tunc proferat præceptum hac conditione.

In Nomine Jesu Christi impero tibi Spiritus execrande! ut si quam potestatem habeas vexandi, ùt ante hominem hunc à Deo creatum, indicium mihi præbeas absque ulla mora vexando.

Si prolato præcepto nullum patitur homo ille ex iis effectibus, quos experiri priùs consueverat; judicari poterit prorsus à Dæmone liber, & Exorcista Deo gratias agens unà cum illo, admonénsque, ut Sacramenta frequentet, & peccata fugiat, sanum relinquat nullis acceptis muneribus, vel oblationibus, ne sui Ministerii exercitium adeò *Inferis* formidabile avaritiâ commaculet. Si autem Dæmon rursus aliquod præsentiæ signum ederet, eo tempore nil aliud agat; solummodò Maleficiatum admoneat, ad ejus liberationem majorem fidem & fiduciam requiri, clariúsque se agniturum aliâ vice, unde oriatur defectus. Poterit etiam de hoc ipso defectu Dæmon interrogari, quando is cæteroquin per os energumeni loqui soleat, accipiendo id tanquam viam utilem perfectæ liberationi, alioquin operæ pretium erit per orationem impetrare â Deo lumen, ut agnoscatur, unde oriatur defectus, & illi remedium adhibeatur.

---

§. 6.

METHODUS LIBERANDI Pueros Maleficiatos.

MAjorem secum fert facilitatem, majorémque simul difficultatem maleficiatorum parvulorum curatio, quàm adultorum. Ex una parte Infantes, sicuti propriam non habent culpam, sic in illos minorem habet potestatem Dæmon. ut eos cruciet; at ex altera parte, dum incapaces sunt efficiendi actus necessariæ dispositionis, quemadmodum capaces sunt adulti, hac de causa minùs apti sunt ad suam liberationem. Attamen sicut in baptismo parvulorum consensum supplet Ecclesia, & supplent

supplent compatres, qui eos è sacro fonte suscipiunt; ita dicere possumus, defectum dispositionis in ipsis requisitæ suppleri tùm ab Ecclesia, tum à parentibus & iis, qui eorum curam gerunt, detestando Dæmonem, atque ita in Domino Confidendo, ut hanc impetrent liberationem (ita fides *Cananaa* supplevit pro sua filia à Dæmone obsessa. Fides *patris illius lunatici* pro suo filio, qui difficilè liberari poterat. Fides *centurionis* pro suo servo ægroto. Fides *Archi-Synagogi* pro sua filia defuncta; licèt enim quis justificari non possit, potest tamen alienâ fide sanitatem recipere.

Proinde in Curatione Infantium debet priùs Exorcista certior fieri, an malum, quô crucientur illi pueri, sit malum ortum à Diabolo & Maleficio; certior autem fiet ratione superiùs allatâ, præsertim reddendo evidentia ea signa, quæ sunt merè probabilia imperando, ut modò rideat, juxta præceptum Dæmoni indictum.

Signa verô probabilia Maleficii in pueris erunt: Si parvuli sæpius tremant absque ulla apparenti illius tremoris causa; si Exorcistas & Sacerdotes fixis oculis intueri non audeant; si ore aperto lac ampliùs sugere nolunt; si intra temporis momentum excessuri videantur è vita; si in iis pars aliqua corporis livida, vel nigra concursu Sanguinis appareat, vel aliquod in illis Vulnus videatur; si lacte satiari nunquam possint; licèt abundanter illud sugant, & nihilominus Macri semper existant. Hæc & hujusmodi indicia cùm Exorcistæ aperuerint aditum, curationem suscipiendi innocentium infantium, necesse est, erudire eos in fide & disponere eos, ad quos spectat Infans; priùs autem admoneat eos in pœnam parentum permitti à Deo vexationem istam in filiis; quare illi ita incipient Dæmoni vim auferre. Deinde agnoscendo se indignos, qui gratiam recipiant fidei, fiduciæque actus superiùs memoratos iterum atque iterum exerceant, protestantes se vice illius infantis, qui propriis actibus se disponere non valet, ad divinam voluntatem confugere, & ab ea petere suppliciter auxilium, promissionum fidelitatem, per ipsius *Sanctissimi Sanguinis* merita, per ipsius *Sanctissimi Nominis* Honorem, promittentes quoque illi se gratias acturos pro suo Filio, & majori diligentia eum erudituros in Christiana lege.

Præ-

Præmissis his diligentiis cùm Exorcista sibi videatur posse niti in bona eorum dispositione ; præceptum expulsivum proferre potest hoc modo :

Ego N. Dei Ecclesiæque Minister in nomine mei Domini Jesu Christi impero tibi ô Dæmon execrande, tuísque omnibus Sociis , si tecum infantem hunc à Deo creatum affligant , ut statim & absque ulla mora ab illo discedas , & destruendo omne Maleficium & ligamen , omnes immunditias tecum feras , quas fortè in hoc corpus attulisses , nullámque imposterùm habeas potestatem eum perturbandi , sive interiùs sive exteriùs , aut aliô modô eum molestandi , sic volo, sic Jubeo in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Amen.

BENEDICTIO CUM EXORCISMO Super prolem infirmam.

℣. Adjut. ℟. Qui fecit. &c.

EXorcizo te creaturam Dei infirmam , per Deum † Patrem , per Deum † Filium , per Deum † spiritum trinum & unum , qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt : ut omnes virtutes adversarii , omnis exercitus diaboli , omnis incursus & phantasma Sathanæ eradicentur & exterminentur à te. Bene † dicat tibi Imperialis Majestas , protegat te † Regalis divinitas , dirigat te † inæstimabilis bonitas , regat te † potentia Dei Patris , vivificet te † sapientia Filii , deducat te † virtus spiritûs S. Crux † Christi salvet te , duodecim Apostoli custodiant † te , SS. Martyres te † adjuvent , SS. Confessores te bene † dicant , omnes SS. Sacerdotes novi & veteris testamenti te † exorcizent & sancti † ficent ,

cent, SS. Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus & Poteſtates, Virtutes Cœlorum, Cherubim & Seraphim te † defendant, virtuoſus Deus trinus & unus te bene † dicat, ut ſis ſancta & ſalutiſera, & ignis ardens adversùs inſidias inimici, & ſis ſanitas & corporis medicina. Fugiat à te omnis infirmitas adjurata per eundem trinum & unum Deum, qui vivit. &c. ℟. Amen. *Aſpergatur deinde.*

Deus creator & redemptor corporis & animæ, eſto propitius huic creaturæ tuæ, & in ea extingue febrium infeſtationes, viſcerum tormenta cura, cordis & capitis dolores, & paſſiones cunctas diſſolve, gravitates pectoris remove, infeſtationéſq; cunctas à quibusvis partibus corporis reſcinde, phantaſmaticis adeſto periculis, tumoréſque compeſce.

Anima Chriſti ſanctiſſima ſancti † ficet te creaturam Dei, corpus Chriſti glorioſiſſimum † ſalvet te, ſanguis Chriſti pretioſiſſimus † inebriet te, ſudor Chriſti virtuoſiſſimus † ſanet te, paſſio amantiſſima Chriſti confortet † te, Jeſus Chriſtus Paſtor bonus cuſtodiat & liberet † te, & intra vulnera ſua abſondat te, nec permittat te ſeparari à ſe: ab hoſte maligno defendat te, & in hora mortis vocet te ire ad ſe, ut cum Angelis ſuis laudes eum in ſæcula. Amen.

Ecce † Crucem D. N. J. C. fugite partes adverſæ, qui Chriſtus vos vult perſequi. Increatus † Pater, increatus † Filius, increatus Spiritus † S. Vicit Leo de tribu Juda, Radix David.

Domine Jeſu Chriſte lumen indeficiens, qui cœlum & terram feciſti, flumen Jordanis benedixiſti, in quo baptizari voluiſti, illumi † nare, & ſancti † ficare digneris hanc creaturam tuam, qui cum Patre. &c.

Sancti-

Sancti † ficet te Deus signaculô S. † Crucis suæ, ut recedant à te omnes inimici tui, defendat te Jesus Christus Filius Dei vivi per signum S. † Crucis, defendat te Deus ab omnibus malis præsentibus & futuris, ex- & interioribus. Signo te signaculô S. † Crucis, ut à persecutionibus diaboli liberet te Deus, signaculô hujus Cru † cis prosternantur ipsi diaboli adversarii tui, & fugiant â te. Præter istius S. † Crucis signaculum liberet te Deus à periculis cunctis, & mittat SS. Angelos suos, qui te custodiant. Benedictio † Dei Patris, & Filii †, & spiritûs † S. sit super te. Benedictio † Jesu Christi sit super te, Virtus S. Crucis sit super te, intra te, circa te, ante te, post te & in omnibus partibus tuis. Bene†dictio † SSmæ Mariæ Matris Dei sit super te. Bene†dictio Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei sit super te. Amen.

Deinde cum Aspersione Aqua benedicta.

Super ægros manus imponent & benè habebunt: Jesus Mariæ Filius, mundi salus & Dominus, qui te traxit ad fidem catholicam; te in ea conservet, & beatam faciat; nec non meritis B. V. Mariæ & B. N. [*nomen prolis*] & omnium Sanctorum te ab hac infirmitate liberare dignetur. ***Pro fine addatur bened.*** S. Vincentii. &c. ***vide pag.* 55.**

Benedictio super prolem non Infirmam.

vel etiam dum primùm in Ecclesia præsentatur à Parentibus.

℣. Adjut. &c. ℣. Dom. exaudi. &c. ℣. Dom. vob. &c.

Oremus.

Oremus.

QUæsumus, omnipotens Deus, ut prolem istam, pro qua tuam deprecamur clementiam, Bene-† dicere digneris, & per virtutem S. Spiritûs Cor ejus corrobora, vitam sanctifica, Castimoniâ decora, sensus ejus in bonis operibus muni & informa: prospera tribue, pacem concede, salutem confer, charitatem largire, & ab omnibus Diabolicis atque humanis insidiis tuâ Bene†dictione, protectione, ac virtute semper defende, custodi, pérque Angelum ei in custodiam deputatum ab omni malo præserva tàm corporis quàm animæ, & in fine ad requiem Paradisi eam perduc. Per C. D. N. ℞. Amen.

Ps. 112. Laudate pueri. &c. *ex Vesperis.* Kyrie. &c. *Pater noster.*

℣. Benedic proli isti. ℞. Et invocetur super eam nomen Domini Dei nostri.

℣. Videte, necontemnatis unum ex his pusillis.

℞. Quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

℣. Dom. vob. ℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus

DOmine Jesu Christe, qui parvulos tibi oblatos, & ad te venientes complexabaris manúsque super illos imponens bene†dicebas, atque dicebas: *Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos; talium est enim regnum cœlorum, & Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*: Respice, quæsumus, ad prolis hujus innocentiam, & ad suorum parentum devotionem; & clementer eam per Ministerium meum Bene†dic, ut in gratia tua

tua & Misericordia semper proficiat, te sapiat, te diligat, te timeat, & mandata tua custodiat, & ad finem optatum feliciter perveniat, per te Salvator Mundi, qui cum Patre & Spiritu S. vivis & regnas in sæcula sæculorum. ℞. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris & Fi†lii, & Spiritûs † S. descendat super te & custodiat atque dirigat te, & maneat semper tecum. Amen.

Aspergatur.

---

§. 7.

METHODUS LIBERANDI à vexatione Dæmonis habitationes, aut aliquid ab ipso infestatum.

SIcut Dæmon propter odium, quô Deum persequitur, hominem, qui ad Deum pertinet, vexat; ita propter odium, quô hominem persequitur, loca & res, quæ ad hominem pertinent, eíque inserviunt, infestat.

Quantum ad loca; aliqua infestantur propter habitatores, & quando isti discedunt, cessat infestatio; alia verò aliis de causis infestantur, ita, ut, quocunque ibi habitante, non cesset molestia. Loquemur hìc de ultimis, quorum infestatio consistit:

Partim in eo, ut appareant Dæmones, Lemuréſque adinstar umbrarum, animalium vel monstrorum ad terrorem incutiendum.

Partim in eo, ut frangant, perturbéntque res Domesticas & excitent strepitum, ad quietem somnúmque impediendum.

Partim in eo, ut rideant & cachinnentur & percutiant absque damno habitatores, fortassè persuadendi causâ hoc mendacium, videlicet; Dæmones non esse adeò infelices, ùt vulgò creduntur, neque adeò deformes, ùt pinguntur, sed inter eos quoquè hilariter & perjucundè vivi. Nihilominus cujuslibet generis sit infestatio, & quæcunque sit ratio, quâ utitur Dæmon, ut habitatores perturbet, in his omnibus semper ille

quærit aliquod animæ malum, sive ut ad impatientiam & desperationem provocet habitatores, sive ut noxiam aliquam curiositatem in eis excitet, & tandem aliquam in eis possessionem acquirat; quare hac in re nulla est Dæmonibus permittenda libertas, licèt primo aspectu non videatur ingens detrimentum, & noxam allatura, sed omnis illis est adimenda potestas, & per potestatem nobis à Domino traditam ab omni loco sunt expellendi Dæmones.

Ut igitur Exorcista eos possit expellere, postquam certior factus fuerit de infestatione, vel à veridica Incolarum relatione, vel experimentis, ea præcepta, eámque instructionem tradere incipiet habitatoribus, quæ ultimum præceptum expulsivum præcedere debent.

Et quoniam tota potestas, quam sibi vendicat Dæmon in nos, sive in res nostras, oritur vel proximè vel remotè à peccato, imprimis disponendo habitatores ad illud detestandum, & præcipuè Domûs illius Dominum, qui flexis genibus debebit à Deo petere veniam, non solùm suorum criminum, sed etiam eorum, quæ à quocúnque alio sive præsenti sive absenti fuerint admissa, suppliciter rogans divinam bonitatem, ut pœnitentiam suam acceptare dignetur pro se & pro omnibus, domúmque ab illa Diabolica molestia liberare.

Præterea debebit Exorcista Dominum Domûs, & cæteros certiores facere de potestate, quam ille, ùt Dei Ecclesiæque Minister, in Dæmones habet, & certò fore, ut præceptis suis obediant, quotiescunque non deficiat fides vel in se vel in illis requisita, cùm ipse debeat imperare *in Jesu Christi* nomine, ac tanquam ejus Minister malignos eos Spiritus expellere; & quia Dæmon, ut hanc fidem impediat, impedire studet, se non esse illarum infestationum authorem, sed esse *vel* animas, quæ purgatorii igne cruciantur, ut à Christianorum precibus aliquod obtineant subsidium; *vel* animam alicujus ad inferna damnati, ibíque sepulti; *vel* tandem aliquem thesaurum ibi defossum ab infernis spiritibus ita custodiri, ut ab eis relinqui non possit.

Hæc omnia mendacia detegenda erunt ab Exorcista eorum falsitatem demonstrando rationibûs superiùs adductis, & persuadendo adstantibus, ut pro certo credant Damnatorum animas in inferni carcere detineri, non in nostris Domibus; & animas

mas purgatoriis flammis destinatas, si quando facultatem habeant apparendi, statim respondere interroganti eas, suámque necessitatem exponere, nec amplius redire, nisi fortè adhuc unâ vice, ut gratias agant pro subsidio illis per sacras preces delato; multòquè minùs redire ad molestiam afferendam & perturbandos habitatores; si verò Dominus Domûs, vel illius habitatores obstinatô animô fidem habere vellent hujusmodi mendaciis à Dæmone excogitatis, non expedit ulteriùs procedere; quia, dum ipsi non obediunt Exorcistæ, sed potius adversantur, nunquam concipient eam fidem, quam necessariam esse diximus, ut certò Diabolus expellatur.

Post hæc disponat Exorcista etiam habitatores ad concipiendam firmam loci liberationis fiduciam propter infinitam bonitatem Dei, & ejus promissa, quibus suum nobis spopondit patrocinium & auxilium contra Diabolicas infestationes, & propter Authoritatem hac in re S. Ecclesiæ traditam.

Hìs peractìs expediet Christi in Cruce pendentis Imaginem extolli, & omnes Domesticos illam sequentes, parvæque supplicationis adinstar *Lytanias* recitantes ad illud Domicilium contendere, quod magìs infestatur à Diabolo; ubi absolutìs precationibûs surgens Exorcista capite cooperto in potestatis suæ argumentum magnâ fide & potestate ei muneri accommodatâ, quo nunc fungitur, pronunciet hoc præceptum:

In nomine Jesu Christi ego N. ùt ejus Minister & servus, licèt indignus impero tibi & vobis execrandi dæmones, ut statim ex hac domo discedatis, nec ad illam molestandam ampliùs redeatis; in Nomine Patris, & Filii, & spiritûs S. Amen.

Deinde magnâ liberationis peractæ certitudine Domicilium illud, atque alia loca aspergat aquâ lustrali? confirmatísque in fide habitatoribus, traditísque opportunis monitis discedat.

MODUS DISCERNENDI

Apparitiones Spirituum utrùm boni sint an mali cum remediis & Exorcismis contra Spiritus malos infestantes Domos vel alia loca.

E*Tsi donum discernendi Spiritus non sit omnium, sed pecu-*

peculiari gratiâ quibusdam concedatur ; & negari non debeat , quin bonorum hominum spiritus singulari dispensatione Dei redire possint , & aliquando redeant , teste Scripturâ , quæ refert Samuelem *apparuisse* Saüli , *Teste item* D. Gregorio in Dialogis ; *licèt etiam de Angelorum apparitionibus multa in Scripturis habeantur , tamen cùm eis malignorum spirituum fraudes optimè sint notæ , & probè sciant , quantum nobis ab eorum insidiis periculi sit , nihil offendentur boni spiritus , si cautissimè nobis prospiciamus : & omnem insolitam apparitionem suspectam habeamus , ac proinde sicubi spiritum tumultuantem aut cientem terribiles strepitus audierimus , adversùs eum tanquam dæmonem armemur , tantisper donec aliud certissimîs documentîs deprehendatur. Et hunc in usum accommodari possunt , quæ de spirituum immundorum discretione disserit* S. Antonius *apud* Athanasium *in vita ipsius , potissimùm* à cap. 18. *quod sic inchoatur* : Nunc jam cæteras vobis dæmonum explicabo fallacias. &c.

In gratiam tamen eorum, qui fortè carent libris necessariis , ex quibus hæc discere possent , subjunguntur hìc aliquot regulæ , quibus discerni facilè poterunt apparitiones bonorum & malorum spirituum.

Indicia mali Spiritûs sunt :

1. Si ad præsentiam vel usum rerum Sacrarum diffugiat , nimirùm signi Crucis , aquæ benedictæ , Nominis JEsu , B. Virginis , aut alicujus Sancti , sacrarum Reliquiarum , Agni Dei , Cerei benedicti , Stolæ sacræ, & similium , quibus Ecclesia uti consuevit contra diabolicas fraudes. Item si hæc improbet aut dissuadeat.

2. Si falsam vel pravam suæ apparitioni causam prætendat.

3. Si aliqua dicat contra fidem , & Ecclesiæ doctrinam , vel suadeat aliquid , quod sit à moribus Sanctorum alienum.

4. Si excitet mentem hominis ad superbiam , ad vanam gloriam ,

riam, ad præsumptionem animi, ad desperationem, vel ad alium minus ordinatum effectum.

5. Si rem non patitur tractari cum Superiore vel Confessario

6. Si in forma tetra aut abjecta appareat, vel cum fœtore, tumultu, horrore, clade discedat.

7. Si ubi semel præstitum est, quod subsidii causâ petiit, rursus quæsitis aliis occasionibus frivolis redeat: animabus enim, ubi satisfeceris, vel non redeunt, vel semel tantùm ut gratias agant.

8. Si blandè accedat, sed postea relinquat mœrorem, desolationem, turbationem animi, tenebras mentis; boni enim Spiritûs est illuminare, solari, & tranquillitatem animi adferre Quod signum etiam habet locum, & observandum, quando non statim se spiritus prodit, vel dicit, quid cupiat. Hujusmodi tamen ordinariè pro malignis haberi possunt; qui non statim indicant, quid velint, præsertim si turbent domum, aliáque faciant, quæ tendunt ad nocendum hominibus. Animæ redeuntes & boni spiritus non volunt aut intendunt hominibus nocumentum vel perturbationes inferre.

Advertant tamen sedulò curam animarum gerentes ad fallacias & technas dæmonum, quomodo se soleant *teste Apostolo transformare in Angelos lucis*: Proinde etiamsi initiò se prodant, ut Spiritus boni solent, inquirant de secunda, tertia, & sequentibus apparitionibus, & facilè deprehendunt fraudem; non enim diu possunt lupi se tegere sub ovina pelle.

Si autem post diligentem indagationem apparitio maneat dubia, an sit à bono, an à malo spiritu, adhibeant remedia, & Exorcismos Ecclesiæ, eósque cogant per preces ad se manifestandos

---

EXORCISMUS
Domûs à Dæmonio vexatæ.

NB. *Peractâ præparatione, de qua in principio inter reg. gen. Sacerdos incipit hoc modo:*

In Nomine Patris, † & Filii, † & Spiritûs † S. Am.
℣. Adjutorium. &c. ℟. Qui fecit. &c.

℣. Exurge

℣. Exurge Christe adjuva nos.
℟. Et de manu Angeli percutientis libera nos.
℣. Qui conteris bella, protector esto nobis :
℟. Et confringe adversantes nobis.
℣. Ascendant ad te Domine preces nostræ.
℟. Et ad aures misericordiæ tuæ supplicantium vota perveniant.
℣. Non est aliud refugium, nisì in te sperare Christe.
℟. Precibus Sanctorum tuorum libera habitatores in hac domo Domine.
℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dominus vobis.

Oremus.

BEne † dic , quæsumus Domine, domum istam , bene † dic Domine introitum nostrum , bene†dic Domine ingressus pedum nostrorum , sicut dignatus es domum Patrum nostrorum *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob* benedicere, ut sint ad nostræ humilitatis introitum Sanctorum tuorum meritîs fuga dæmonum, & Angeli pacis ingressus. Per C. D. N. Amen.

Oremus.

DEus Angelorum, Deus Archangelorum , Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, & omnium benè viventium : Deus & Pater D. N. Jesu Christi, te invoco , & nomen sanctum tuum , ac præclaræ Majestatis tuæ clementiam supplex deposco, ut mihi auxilium præstes adversùm nequissimum spiritum : ut , ubicunque sit , auditô nomine tuô velociter exeat & recedat. Per Dom. N. J. C. &c
℟. Amen.

CONJURATIO DÆMONIS

Ad quævis loca Molestata repetenda.

ADjuro ✝ te serpens antique, per judicem vivorum, & mortuorum, per factorem mundi, qui habet potestatem mittere te in Gehennam, ut ab hac Domo festinus discedas. Ipse tibi imperat, maledicte Diabole, qui ventis & mari, & tempestatibus imperavit. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui te retrorsum abire præcepit. Audi ergo Sathana! & time, & victus & prostratus recede, adjuratus in nomine Domini nostri Jesu Christi; qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Hic Sacerdos incipiat 15. *Psalmos Graduales singulos cum Gloria Patri, &c. Aspergendo aquâ benedictâ Domûs loca. Post* 5. *primos fiat statio dicendo* : Kyrie eleyson. &c. Pater noster &c.

℣. Dom. exaudi. &c. ℣. Dominus vobis. &c.

Oremus.

DOmum tuam Domine clementer ingredere, & in tuorum corde fidelium perpetuam tibi construe mansionem : & præsta, ut in hac Domo nulla malignorum Spirituum dominetur nequitia. Per Christum D. N. ℟. Amen.

Post 5. *alios intermedios Psalmos fiat statio 2da cum* Kyrie eleyson. &c. Pater noster. &c. *ut supra. &c.*

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris: adesto supplicationibus nostris, ut hujus Domûs sis pro-

protector, & nulla hic nequitia contrariæ potestatis obsistat : sed virtute Spiritus S. fiat tibi hic purum servitium, & devota libertas existat. Per Christum D.N. ℟. Amen.

Post 5. ultimos fiat statio 3. cum Kyrie. &c. *ut supra. &c.*

Oremus.

DEus, qui in omni loco Dominationis dedicator assistis, exaudi nos quæsumus, ut inviolabilis hujus Domûs permaneat benedictio † & beneficia tui muneris universitas, quæ supplicat, mereatur. Per Christum D. N. ℟. Amen.

Postea in principali loco Domûs legat Sacerdos seq. Evangelium.

℣. Dñus vob. &c. ℟. Et cum Spiritu tuo.

℣. Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam. *c. 19.*

℟. *Gloria tibi Domine.*

IN illo tempore : Ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus : Et hic princeps erat publicanorum, & ipse dives. Et quærebat videre Jesum, quis esset, & non poterat præ turba, quia staturâ pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. Et cùm venisset ad locum, suspiciens Jesus, vidit illum, & dixit ad eum. Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere, & festinans descendit, & excepit illum gaudens. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes : quòd ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus; & si quid aliquem defraudavi, reddo

quadruplum. Ait Jesus ad eum : quia hodie salus Domui huic facta est : eòquod & ipse Filius sit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat. ℟. Laus tibi Christe.

Deinde benedicitur incensum hoc modo.

Per intercessionem B. Michaelis Archangeli, stantis à dextris Altaris incensi, & omnium Electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene✝dicere, & in odorem suavitatis accipere. Per C. D. N. ℟. Amen.

Postea Sacerdos ponat incensum super ignem, & incenset Domum dicens :

Incensum istud à te benedictum, ascendat ad te Domine ! & descendat super nos misericordia tua.

℣. Dñus vobis. &c. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

VIsita, quæsumus Domine, habitationem istam; & omnes insidias inimici ab ea longè repelle : Angeli tui Sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant : & benedictio tua sit super nos semper. Per C. D. N. ℟. Amen. *Et aspergat aquâ benedictâ.*

NB. *Si non cesset infestatio, prædicta sunt aliquoties in septimana repetenda, quoties & quamdiu prudenti Exorcistæ videbitur. Possunt etiam hìc reassumi, quæ habentur* pag. 118. *iisque deinde adjungi* sequentes Litaniæ, *eundo cum Cruce per modum Processionis, Domesticîs respondentibûs, usque ad locum præ aliis magìs infestatum.*

KYrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus. Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus. Miserere nobis.

Sancta

Sancta Trinitas unus Deus. Miserere nobis.
Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix. Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum. Ora pro nobis.
Omnes SS. Angeli & Archangeli. Orate pro nobis.
Omnes Ss. Throni & Dominationes. orate.
Omnes Ss. Principatus & Potestates, orate.
Omnes Sanctæ virtutes Cœlorum, orate.
Omnes Ss. Cherubim & Seraphim, orate.
Omnes Ss. Patriarchæ & Prophetæ, orate.
Omnes Ss. Apostoli & Evangelistæ, orate.
Omnes Ss. Martyres & Confessores, orate.
Omnes Ss. Pontifices & Doctores, orate.
Omnes Ss. Sacerdotes & Levitæ, orate.
Omnes Ss. Monachi & Eremitæ, orate.
Omnes Ss. Virgines & Viduæ, orate.
Omnes Ss. Conjugatæ & Pœnitentes, orate, &c.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto. Parce nobis Domine.
Propitius esto. Exaudi nos Domine.
Ab omni malo. Libera nos Domine.
Ab ira tua. Libera nos Domine.
A morbo malo. Libera nos, &c.
Ab insidiis Diaboli. Libera nos, &c.
A vexatione Dæmonum. Libera nos, &c.
A potestate inimicorum. Libera nos, &c.
A malitia impiorum. Libera nos, &c.
A veneficio malignantium. Libera nos, &c.
Ab omnibus periculis. Libera nos, &c.
A gravibus Doloribus. Libera nos, &c.
A subitanea morte. Libera nos, &c.
Per virtutem Divinitatis tuæ. Libera nos, &c.

Per

Per potentiam humanitatis tuæ. Libera nos, &c.
Per Miracula tua. Libera nos, &c.
Per poteſtatem ſuper omnia dæmonia. Libera, &c.
Per Majeſtatem gloriæ tuæ. Libera nos, &c.
Per bonitatem pietatis tuæ. Libera nos, &c.
Per multitudinem miſerationum tuarum. Libera, &c.
Per Tremorem ſacri nominis tui. Libera nos, &c.
Per efficaciam ſacræ crucis tuæ. Libera nos, &c.
Per amaritudinem diræ mortis tuæ. Libera, &c.
Per dolorem Vulnerum tuorum. Libera nos, &c.
Per effuſionem ſacri ſanguinis tui. Libera nos, &c.
Per glorioſam reſurrectionem tuam. Libera, &c.
Per mirabilem aſcenſionem tuam. Libera nos, &c.
Per merita Beatæ Matris tuæ. Libera nos, &c.
Per interceſſionem Sanctorum tuorum. Libera, &c.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas. Te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas. Te rogamus audi nos.
Ut domum hanc ab omnibus adverſis liberare digneris. Te rogamus audi nos.
Ut eam ab omni infeſtatione ſatanæ cuſtodire digneris. Te rogamus audi nos.
Ut omnes Spiritus malignos ab ea expellere digneris. Te rogamus audi nos.
Ut habitantibus in ea pacem & quietem conferre digneris. Te rogamus audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. Te rogamus audi nos.
Ut nos exaudire digneris. Te rogamus, &c.
Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, &c. *dicitur ter.*
Chriſte, &c. Pater noſter. ℣. Dominus vobiſ. &c.

Ore-

Oremus.

IN nomine JEsu, in quo flectitur omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum, munda, Deus! domum hanc, præcipuè hunc locum Bene†dic, & sancti†fica: cesset in eo omnis infestatio; pellantur procul dæmoniorum præstigia & phantasmata, terrórque venenosi serpentis evanescat: cesset etiam manus tua percutiens, appareátque nunc in eo præclaræ Majestatis tuæ clementia, ut maleficia, quæ in hoc nomine destruo, irrito, annullo, destructa, irrita maneant ac penitus annullata; per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Adde Evangelium S. Joannis *ut supra* pag. 84. *quo finito repete* conjurationem Dæmonis *ut supra* pag. 184. *cum tuo* præcepto expulsivo. *ut supra* pag. 180. *asperg.*

§. 8.

DE INFESTATIONIBUS ANIMALIUM.

NB. Quidquid de Domuum liberatione diximus, intelligendum pariter est & exercendum in bestiarum liberatione. Disponatur Dominus, vel illarum custos ad detestanda sua peccata, etiam per sacram & accuratam Confessionem, & præsertim illa, quæ fortè in illarum bestiarum cura commiserit, vel diebus festivis servilia opera exercendo, vel rerum caducarum curam debitæ spiritualium suæque animæ solicitudini anteponendo. Erudiatur item, ùt dictum est, *in fide & fiducia*, & cùm benè eruditus fuerit, vexatas illas belluas liberare aggrediatur hoc præcepto:

Ego N. Jesu Christi & S. Ecclesiæ Minister impero tibi & vobis execrandi dæmones! quotquot estis, ut ab his animalibus statim discedatis, maleficium omne in

in illorum noxam elaboratum, destruendo, naturalésq; illorum operationes nunquam ampliùs impediendo neque eorum Dominum aut custodem ampliùs perturbando, fugite igitur Spiritus nefarii, sicut vobis impero: in nomine Patris & Filii &c.

Postea Bestiæ & Stabula *aqua lustrali* aspergantur, aliaque præmunientia adhibeantur remedia: vg *de agno Dei* vel de *S. Cera* quid occludere in præsepi aut in cornu pecudis perforato; juvat quoque schedas *SS. 3. Regum* affigere Stabuli postibus, aut iis inscribere seq. Verba, utpotè quæ efficacia sunt pro arcendis maleficiis:

Vade retrò Satana, nunquam suade tibi mala, sunt mala, quæ libas, ipse venena bibas.

Crux Sacra mihi lux, non Draco mihi dux.

MODUS EXORCIZANDI

Quævis animalia per Maleficia & Veneficia afflicta.

NB. *Factâ animalium aspersione cum aquâ benedictâ legat* Lytanias *supra positas* pag. 186. *usque ad* peccatores *genuflexus*, *post* ut nobis indulgeas *stans dicat*:

Ut hæc pecora Bene†dicere digneris, Te rogamus audi nos.

Ut hæc pecora bene†dicere & custo†dire digneris, Te rogamus audi nos.

Ut hæc pecora bene†dicere, custo†dire, & ab omni morbo † liberare digneris. *Sqtia genuflexus* Te rogamus audi nos.

Ut ea ab omni contagione præservare digneris. Te rogamus audi nos.

Ut omne nocumentum ab eis auferre digneris. Te rogamus audi nos.

Ut nos exaudire digneris. &c. *usque ad finem.*

Ore-

Oremus.

DEus, qui laboribus hominum, etiam de mutis animalibus ſolatia ſubrogâſti: ſupplices te rogamus, ut, ſine quibus non alitur humana conditio, noſtris facias uſibus non perire. Tribulationem inquam noſtram, quam per ea patimur, propitius reſpice; & iram tuæ indignationis, quam juſtè meremur, averte. Averte etiam, Domine! à fidelibus tuis cunctos miſeratus errores & ſævientium morborum, qui graſſantur in animalia, depelle perniciem, ut, quos ſuô meritô flagellas devios, foveas tuâ miſeratione correctos. Per Chriſtum Dom. N. ℟. Amen.

Factâ denuò animalium aſperſione dicat.

Lectio Jeremiæ Prophetæ. *c.* 14.

SI iniquitates reſponderint nobis: Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ ſunt averſiones noſtræ: tibi peccavimus. Exſpectatio Iſrael, Salvator noſter in tempore tribulationis. Tu autem in nobis es Domine & nomen tuum invocatum eſt ſuper nos: ne derelinquas nos Domine Deus noſter. Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

Oremus.

MIſericordiam tuam Domine, ſupplices exoramus, ut hæc animalia, quæ periculoſâ contagione vexantur, in nomine tuo, & in virtute Benedictionis † tuæ ſanentur. Extinguatur in eis omnis diabolica poteſtas, ne ulteriùs ægrotent: Tu eis, Domine, ſis defenſaculum vitæ & remedium ſanitatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Hic

Hic lege Evangelium S. Joannis pag. 84. *quod contra omnia maleficia & infirmitates potest adhiberi. Dicto:* Laus tibi Christe. *Concludat illud hoc modo.* Per Evangelica dicta tollantur, & evertantur omnia diabolica facta. Amen.

Exorcismus
Contra pestem & afflictionem animalium:

EXorcizo te dæmon, & admoneo te per Deum vivum † per Deum verum † per Deum sanctum † ut exeas atque recedas de loco isto nec unquam revertaris, nec habitantibus in eo, ut homini, aut Bruto, pavores immittas, aut quodcúnque maleficium inferas, per eùm, qui te vicit & superavit in patibulo crucis: & potestatem tuam ligavit, quíq; cum Deo patre & Spiritu S. vivit & regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hic utatur Exorcista suo præcepto expulsivo: Ego N. Jesu, &c. *ut supra* pag. 189. *dein.*

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia majestatis adorare unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur pecora aquâ solemni, cùm id non sine fructu à quibusdam Sacerdotibus practicatum fuerit.

Benedictio Stabuli.

℣. Adjutorium, &c. ℣. Dominus vobis. *& sic in seqq.*

Oremus

Exaudi nos. &c. *vide pag.* 102. *mutatis mutandis.*

Oremus.

BEne † dic Domine locum istum cum omnibus Jumentis (vel pecoribus) ejus ab omni mala tempestate, ab igne & infirmitate, ab ira ventura, & ab omnibus diabolicis tribulationibus & insidiis; & tu Deus, qui unigenitum Filium tuum ac Redemptorem nostrum in jumentorum stabulo nasci ac bovem inter & asinum collocari voluisti, ejus esse velis habitator & custos, eúmque ab omni malo custodire digneris. Per eundem D. N. &c. ℟. Amen. *Aspergat.*

Bene*dictio Pabuli animalium.*

Quadrat, ubi mos est, in **Festo** ***S. Stephani.***
Ita ex vet. Rom.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, Creator cœli & terræ, Rex Regum, & Dominus dominantium: exaudi nos famulos tuos clamantes & orantes ad te, qui omnia de nihilo creâsti, & hoc pabulum cum cæteris creaturis ad usus animalium, & ad eorum nutrimentum fecisti: quæ quidem animalia in adjutorium & sustentationem hominum creâsti: te humiliter deprecamur, ut has creaturas avenæ, salis & cætera (*Fœnum, Stramen, Gramen, hordeum &c.*) quæ ad usus animalium & sanitatem eorum, sive in terra, sive in aqua degentium creâsti, per invocationem S. Nominis tui, & per intercessionem B. Mariæ semper Virginis Genitricis tuæ, & per preces [*ac merita* S. *Stephani*) omnium Sanctorum tuorum, bene † dicere & sancti † ficare digneris: ut anima-

animalia, quæ ex eis gustaverint, sanitatem integraliter recipiant, per te Jesu Christe, cujus solô verbô omnia restaurantur, Salvator mundi, Rex æternæ gloriæ: qui in Trinitate perfecta cum Patre & spiritu S. vivis & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui temporibus Eliæ Prophetæ Cœlum à nubibus restringendo clausisti, & rursum aperiendo te mirabilem ostendisti: exaudi preces plebis tuæ, ut per unigenitum tuum, quem consubstantialem & coæqualem tibi in Divinitate credimus, & per Spiritum S. Paraclitum, quem ab utroque procedere confitemur, bene † dicas hoc Pabulum NN. ut, quæcunque animalia ex eo gustaverint, adjutorium sanitatis & incolumitatis recipiant, per te Domine S. Pater, qui cum Filio & Spiritu S. vivis & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Manu signans crucem super pabulum, dicit:

Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritûs S. descendat super hanc creaturam pabuli NN. ℟. Amen. *Aspergatur*

Benedictio Salis pro animalibus.

Oremus.

DEus invisibilis & inæstimabilis, pietatem tuam per sanctum ac tremendum filii tui nomen suppliciter deprecamur, ut in hac creatura Salis bene-† dictionem & potentiam invisibilis operationis infundas: ut animalia, quæ necessitatibus humanis tribuere dignatus es, cùm ex eo acceperint vel gustaverint,

rint, bene†dictio & sancti†ficatio tua ab omni ægritudinis & læsionis incursu, te protegente, custodiat. Per eundem C. D. N. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: defende, quæsumus, omnia animalia nostra per hanc creaturam Salis & Aquæ: defende piissime à rapacibus, à latronibus, à bestiis, à scabie, à morbo, à morsibus, à laqueis, à Diabolo, à malis oculis, à veneficiis, ab aruspicibus, & ab omnibus malis salvare, & pecudes, & alia animalia, quæ morbis & infirmitatibus vexantur, per hanc creaturam Salis, & per invocationem S. Nominis tui sanare digneris. Per C. D. N. ℟. Amen.

Aspergatur per modum Crucis.

Benedictio in peste animalium.

Oremus.

MIsericordiam tuam, Domine, supplices exoramus, ut hæc animalia, quæ gravi infirmitate vexantur, in nomine, atque tuæ bene†dictionis virtute sanentur. Extinguatur in eis omnis Diabolica potestas, & ne ulteriùs ægrotent, tu eis Domine sis sustentaculum vitæ, & remedium sanitatis. Per C. D. N. ℟. Amen.

Aspergantur aquâ benedictâ in modum Crucis.

EXORCISMUS
Contra Lac Maleficiatum.

ECce Crucem † Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de Tribu Juda, Radix David. Exorcizo

te creatura Lactis in nomine Dei Patris † omnipotentis, in nomine Jesu Christi † filii ejus Domini nostri, & in virtute Spiritûs † Sancti, ut fias Lac Exorcizatum in salutem fidelium, & sis omnibus ex te sumentibus sanitas animæ & corporis, & effugiat, atque discedat à te nequitia omnis ac versutia Diabolicæ fraudis: omnísque nocendi facultas in te quovis modo per Ministros Sathanicos introducta. Per eum, qui venturus est. &c. ℟. Amen.

℣. Tu enim dixisti: introducam vos in terram promissionis;

℟. Terram fluentem Lac & Mel.

Oremus.

DEus, qui ab initio inter cætera clementiæ tuæ dona, etiam Lactis substantiam hominibus ad usus vitæ hujus pro tua bonitate de armento largiri dignatus es. Averte benignus ab hoc Lacte omnes malignorum hominum fascinationes, noxásque singulas Dæmonum adjumentô illatas ab eo depelle; & fac deinceps, ne ulla Dæmoniorum vis substantiæ ejus quid nocumenti, quid mortiferæ corruptionis inferre, aut quovis modo hominibus noxiam reddere præsumat; sed quod fidelibus in alimenti subsidium contulisti, integrum illis, ac incorruptum servetur. Per C. D. N. ℟. Amen. *Aspergatur.*

EXORCISMUS
Contra Butyrum Maleficiatum.

EXorcizo te creatura Butyri per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † Sanctum; per Deum, qui à principio pro sua bonitate ad usus vitæ hujus corruptibilis Butyrum de armento dedit & Lac

Lac de ovibus, ut nihil in te loci habeat adverſariæ cujuscunque virtutis operatio, nihil in te poteſtatis malitia Sathanæ, nihil ars damnata quorumvis utriuſque ſexûs illi impiâ ſocietate adhærentium: ne quovis modo ſubſtantiam tuam minuant, vel corrumpant, vel quâcunque ratione hominibus noxiam reddant: præſtante illo & ſervante, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Præ ubertate Lactis comedet Butyrum:

℟. Butyrum enim & Mel manducabit omnis, qui relictus fuerit in medio terræ.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, cui creaturarum tuarum bonitas placet, quiq; ex abundantia pietatis tuæ fideles, per Prophetam tuum ad comedendum pinguia invitare dignatus es, atque inter alias creaturas pinguedinis tuæ participes, Butyro tantam dignitatem tribuiſti, ut non modò illud hominibus ſed unigenito etiam filio tuo, pro ſalute noſtra de puriſſima Virgine incarnato, in cibum & alimentum ſervire volueris; dicente Propheta: ***Butyrum & Mel comedet.*** Immenſam clementiam tuam imploramus, ſupplicantes & te humiliter rogantes, ut à ſubſtantia Butyri hujus vim omnem fraudémque virulenti hoſtis benignus avertas. Per C. D. N. ℟. Amen.

Aſpergatur.

Contra inviſibilem Lactis, Butyri vel aliarum rerum per veneficia & incantationes ablationem.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui ad ſervandam inter homines pacem, furtum facere & rem proximi concupiſcere prohibuiſti: obſecramus cle-

mentiam tuam, ut omnes, qui, quod injuſtè concupiſcunt, Dæmonis adjutoriô proximis ſuis auferre nituntur, dexterâ tuâ coërceas: & hiſce famulis tuis, qui conceſſis à te vitæ ſuæ ſubſidiis ad honorem tuum frui deſiderant, SS. Angelorum concede præſidium: qui Dæmonum poteſtate repreſsâ, maleficos injuſtorum hominum conatus, quos eorum adjumentô perficiendos exiſtimant, irritos reddant & fruſtraneos. Per C. D. N. ℟. Amen. *Aſpergatur, adjungendo hunc Exorciſmum, qualis eſt*:

Contra Maleficia Lacticiniorum & aliorum Comeſtibilium, frugum, &c.

Exorcizo te, immunde ſpiritus, qui ad turbandam Chriſtianorum quietem, & ad injurias in bonis temporalibus inferendas hominibus, tuâ fraude deceptis, auxilium præbes, per judicem vivorum & mortuorum, ut ab his creaturis N. protinùs recedas, nec quidquam nocumenti eorum Dominis, edentibus aut ſumentibus inferre, imò nec quidquam eorum, quæ ad ſuum Dominum ſpectant, attingere, vel auferre præſumas.

Oremus.

OMnipotens, ſempiterne DEus, qui inter cætera dona clementiæ tuæ, hominibus ad uſus vitæ mortalis lactis ſubſtantiam & alia plura videlicet N. largiri dignatus es: te ſuppliciter deprecamur, ut hujuſmodi ſubſtantiam lacticiniorum aut frugum ſic bene † dicere digneris, quatenùs ſervis tuis feliciter & copioſè proveniat: Et quisquis illâ creaturâ ad alimentum ſuum, vel ad aliam hujus vitæ commoditatem uti voluerit, gratiam bene † dictionémque tuam

tuam sibi tantam gaudeat adfuisse, quâ simul sentiat cessare, & sublatas esse ab ejusmodi creaturis tuis omnes diaboli nequitias, ejúsque ministrorum immissas fascinationes. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. *Aspergantur.*

NB. *Si quid aliud adhuc devotioni tuæ accommodatum fuerit, his immisce, quæ suprà posita sunt de comestibilibus* pag 102. & 111. *cum recitatione* Litaniarum de omnibus SS. Evangelii S. Joannis. *Potest etiam facilè aptari istis, quod nunc subjungitur contra noxia animalia corrumpentia agros & fruges.*

EXORCISMUS

Contra noxia animalia, v. g. Vermes, Mures, locustas, Bruchos, Serpentes, & quævis alia agros vel aquas extraordinariè inficientia, vastantia & Corrumpentia.

NB. *Præparatione de more præmissâ* : ℣. Adjutorium, &c.

EXorcizo vos † noxia animalia (N.) per Deum patrem omnipotentem, & Jesum Christum Dominum nostrum, & Spiritum S. ab utróque procedentem, ut confestim recedatis ab hoc loco (N.) nec hìc ampliùs habitetis; & si per maleficium diaboli hìc sitis, vobis in nomine totius divinæ Majestatis, ac cœlestis curiæ impero, ut deficiatis, deficientia in vobis ipsis mox usque eò decrescatis, ut de vobis nil nocumenti deinceps reperiatur. Adjuro, & Exorcizo, inquam, vos per eum, qui in deserto per 40. annos satiavit filios Israël Manna, iisq; aquam ex petra eduxit ad bibendum, ut absque mora omne, quod noxium

noxium est, amoveatis, & quô modô nocuistis, nocere desinatis. Dissipemini itaque omnísque virtus ac nocendi potestas vobis adimatur, per virtutem & potestatem Domini nostri Jesu † Christi, qui venturus est judicare. &c. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens, æterne Deus, bonorum omnium auctor & conservator, in cujus nomine omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: concede, ut, quod de tua misericordia confisi agimus, per tuæ gratiæ efficaciam consequatur effectum; quatenùs hæc pestifera animalia segregando segreges, exterminando extermines, ut ab ista calamitate liberati, gratiarum actiones Majestati tuæ referamus. Per Christum Dom. nostrum. ℟. Amen.

Lectio S. Evangel. secundùm Marcum. &c. pag. 138. ℣. Dominus vobisc. &c.

Oremus.

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi, ut, qui justè pro peccatis nostris affligimur. Et hanc animalium (*Vermium, murium, &c.*) calamitatem patimur, pro nominis tui gloria ab ea misericorditer liberemur; ut per potentiam tuam procul expulsa nulli noceant, & agros aut hortos intactos dimittant; quatenùs, quæ exorta fuerint, tuæ majestati deserviant. Per Christum D. N. ℟. Amen.

Fiat aspersio aquæ solemnis ob probatissimam ejus efficaciam, aut si mavis, quod præscribit agenda Coloniensis, & est:

Bene-

Benedictio Salis & Aquæ contra Vermes & Aves Semina agrorum vastantes.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, mitte Spiritum tuum S. cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, & cum eis omnes sanctos & Electos tuos, ut segetes nostras defendant à Vermibus malis & avibus, & magnificetur nomen tuum in omni loco. Per C. D. N. ℟. Amen.

Oremus.

BEne†dic Domine hanc creaturam Aquæ, ut fugiant Vermes & volucres à nostris segetibus propter nomen D. N. J. C. quod invocatum est in ipsa creatura messis, ut fiat alimentum omnibus, qui vivunt ex ea. Per C. D. N. ℟. Amen. NB. *Aspergatur, valebitque etiam repetere suprà posita* pag. 126.

---

§ 9.

DE CONJUGIBUS, QUI MALEFICIO impediuntur ab usu Matrimonii.

NB. In nulla alia liberatione labores suos utiliùs impendet Exorcista, quàm si solvere conetur ea maleficia, quæ Matrimoniis nocent. In hujusmodi fascinis permittitur Dæmoni major nocendi libertas originalis peccati causâ, quod transfunditur in nos per generationem carnalem, ut *D. Thomas*, *aliique Theologi* observârunt. Hujusmodi maleficiorum signa videri poterunt apud *Morales*, qui de his satìs superque agunt.

Quando igitur patet, mala in conjugibus orta esse à Dæmone, persuadeatur iis, ut detestentur omnia crimina, quæ fortè inter se admisissent, sive ante sive post Matrimonium contractum, & præsertim abominentur finem illum, quem

 multi

multi imprimìs spectare solent in connubiis jungendis, nimirùm liberè satisfacere libidini, nec interim dirigunt Matrimonium ad finem debitum & supernaturalem, nempé ut vel sanctiùs vivant in illo statu, vel ut prolem obtineant, quæ Deo serviat & cœlestes sedes repleat.

Utatur igitur Exorcista verbis *Archangeli Raphaelis ad Tobiam*, ut demonstret hos errores, curétque, ut a sponsis piis precationibûs & pœnis voluntariè susceptîs deleantur; deinde eos erudiat in fide, ùt dictum est, & maximè conetur eis apertam facere, & persuadere potestatem, quam conjuges invicem habent in sua corpora, datam illis esse à Christo per Sacramentum adeò magnum, quale est Matrimonium, & peccata omnium malorum causam tollant, Deum non ampliús permissurum esse Dæmoni hanc potestatem, quam hactenus ei permisit. Tandem postquam iteratîs actibûs eos ad liberationem disposuerit, poterit præceptum sic efformare.

Ego N. Christi & Ecclesiæ Minister potestate à Deo mihi traditâ, cùm Exorcistæ Ordinem susceperam, venio contra te Spiritus immundè, qui contendis impedire Matrimonium ab ipso Deo institutum ad finem adeò sublimem, & impero tibi in nomine Jesu Christi, ut omne Maleficium contra hanc creaturam factum statim destruas, atque absque ulla morâ discedendo tecum feras omnes Diabolicas immunditias, quas aliquo modo in hoc corpus intulisses, ita ut creatura ista libera & sana remaneat, perinde ac si nunquam à te molestata fuisset. Sic igitur tibi impero, & omnibus aliis, quotquot adestis Spiritus execrandi! in nomine Patris, & Filii & Spiritûs S. Amen.

BENEDICTIO ET EXORCISMUS
Conjugum maleficiô impeditorum.

NB. *Postquam conjuges ab usu Matrimonii impediti ritè confessi, sacrâque synaxi refecti fuerint, Sacerdos,*

cerdos, lectâ Missâ de Spiritu S aut Deipara V. Mariæ, sequentes subjiciet Orationes.

℣. Adjutorium, &c. ℟. Qui fecit, &c.

℣. Salvum fac servum tuum & Ancillam tuam.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Nihil proficiat inimicus in eis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis.

℟. à facie inimici.

℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vob. &c.

Oremus.

DOmine JEsu Christe, fili Dei vivi, qui in paradiso terrestri matrimonium instituisti in officium; & postmodum (pro nobis homo factus, & ex Virgine natus) etiam in Sacramentum instituisti, & tuâ præsentiâ ac miraculorum primitiîs dignanter illustrasti; quæsumus, ut per merita & preces B. V. Mariæ Matris tuæ, BB. Confessorum tuorum Vincentii & Jodoci, & omnium Sanctorum & Sanctarum tuorum, hos conjuges matrimonii sacramentô copulatos be✝nedicere, & ab omni ligamento, fascinamento, & maleficio satanæ (fœcunditatem & salutarem Sobolis propagationem eis impertiendo) tuâ pietate liberare digneris. Qui cum Patre & Spiritu S. vivis. &c. ℟. Amen.

Deinde tres sequentes Psalmi.

Psal. 1. Beatus vir, qui non abiit. &c. *ex matutino.*

Ps. 90. Qui habitat in adjutorio. &c. *ex Complet.*

Ps. 127. Beati omnes, qui timent. &c. *feria 5. ad Vesp.* Kyrie. &c. Pater noster. &c.

℣. Sal-

℣. Salvum fac ſervum tuum & Ancillam tuam. &c. *ut ſupra.*

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Beatæ ſemper Virginis Mariæ uterum mirabiliter fœcundâſti, ut de Spiritu S. verum Deum & hominem, ſalvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum conciperet: imploramus clementiam tuam, ut his famulis tuis matrimonii nexu conjunctis, ſublatô omni dæmonis impedimentô & maleficiô, ſalutarem matrimonii fructum largiri digneris. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui, &c. ℟. Amen.

Deinde utrique benedicens, ſubjiciat.

CReator cœli & terræ, qui primis parentibus matrimonii fœdere ſociatis dixit: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*, ille ſuâ benedictione adversùs omnes diabolicas infeſtationes fœcundet atque multiplicet, & Chriſtianæ Sobolis ſalutarem propagationem miſericorditer vobis concedat, in nomine Patris † & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen.

Poſtea aſpergat illos aquâ bened. repetendo illud præceptum expulſivum Ego N. Chriſti & Eccleſiæ. *ut ſupra. Ungat eos etiam Oleô benedictô, de quo* pag. 223. Benedictio Cameræ. *Pag.* 118. Lecti. 119.

Precatio pro conjugatis

Ex lib. prec. noſtri Joann. Feri.

PIiſſime creator, & redemptor, & Auctor humani generis, qui jamtum ab exordio mundi maſculum & fœminam conjugali vinculô conjunxiſti, nec multò poſt quàm nativitas filii tui in mundum inclareſceret, ipſum conjugium per filium tuum primô

mô miraculô confirmâsti, ac denique per Paulum Apostolum tuum unitatem, pacem, & amorem conjugatorum commendâsti: da, ut hoc conjugium ita à te benedicatur, & fecundetur, ut ambo cum familia, quæ tibi placita sunt, peragant, & in omni bono proficiant. Amen.

NB. *Prætactæ preces sunt aliquando reiterandæ; Domus, Camera, lectus, plumæ, conjugatorúmque indumenta fumigentur, benedicantur, exorcizentur, & ponatur in lecto S. Cera, Agnus Dei, Ruta seu Oliva Palmarum benedicta, Sal Exorcizatum, Thus, Myrrha, de granis Cerei Paschalis, aliæve res sacræ. &c. Conjuges verò, qui ejusmodi Maleficiô innodati sunt, studeant exemplô* Tobiæ & Saræ *per bona opera Deum sibi reddere propitium. Quòd si occultô Dei judiciô, vel eorum culpâ maleficium non tollatur, ab iisdem tamen non desistant, donec exaudiantur.*

Benedictio Mulieris prægnantis.

Ubi aut Matris, aut infantis vita periclitatur.

℣. Adjutorium. &c. ℟. Qui fecit. &c.
℣. Salvam fac ancillam tuam.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto illi Domine turris fortitudinis.
℟. à facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto,
℟. Et de Sion tuere eam.
℣. Dñe exaudi. &c. ℣. Dom. vob. &c.

Oremus.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in Confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Majeſtatis adorare unitatem: Quæſumus, ut ejusdem fidei firmitate, hæc famula tua ab omnibus ſemper muniatur adverſis. Per Dom. &c. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine Deus omnium creator, fortis & terribilis, juſtus & miſericors, qui ſolus bonus & pius es; qui de omni malo liberas Iſraël: qui electos Patres munere Spiritûs tui ſanctificâſti: qui glorioſæ V. Matris Mariæ corpus & animam, ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu S. cooperante præparâſti: qui Joannem Baptiſtam Spiritu S. repleri, & in utero Matris exultare feciſti: accipe Sacrificium cordis contriti, ac fervens deſiderium famulæ tuæ N. humiliter ſupplicantis pro conſervatione prolis, quam ei dediſti concipere, & cuſtodi partem tuam, & defende ab omni dolo & injuria duri hoſtis: ut obſtetricante manu miſericordiæ tuæ, fœtus ejus ad hanc lucem veniat incolumis, ac ſanctæ regenerationi ſervetur, tibíque in omnibus jugiter deſerviat, & vitam conſequi mereatur æternam. Per eundem D. N. &c.

Poſtea aſpergatur. Deinde

Pſ. 66. Deus miſereatur noſtri. &c. *ex Laud.*

℣. Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu.
℟. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.
℣. Angelis ſuis mandavit de te.
℟. Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dñus vob. &c.

Oremus.

Oremus.

VIsita, quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea, & à præsenti famula tua longè repelle; Angeli tui Sancti habitent in ea, qui eam, & fœtum ejus ab omni adversitate & mortis periculo tuâ bene†dictione custodiant. Per Dom. N. &c.

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritûs † S. descendat super eam & maneat semper. Amen.

Benedictio Mulieris Purificandæ post partum.

Aspergat te Deus rore gratiæ ad vitam æternam. ℟. Amen.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc nunc & usque in sæculum.

Ps. 120. Levavi oculos meos. *feria 2. ad Vesp.*

Kyrie. &c. Pater noster. &c.

Salvam fac ancillam tuam. *ut superius.*

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, Pater D. N. J. C. bene† dicere digneris hanc famulam, quæ, ad imitationem SSmæ V. Mariæ, sese cum gratiarum actione, purificandam in templo exhibet: & concede propitius, ut, sicut ei prolis fœcunditatem, & vires templum tuum ingrediendi contulisti; ita per intercessionem ejusdem immaculatæ Virginis, ab omni mentis & corporis contagio liberatam, ad sancta Sanctorum purâ facias mente accedere, & post finem præsentis vitæ templum cœleste introire. Per C. D. N.

Dom. vobisc. &c. *Seq. S. Evang. secundùm Lucam* Luc. 2.

In

IN illo tempore: postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in Lege Domini: quia omne masculinum adaperiens Vulvam, sanctum Domino vocabitur, Et ut darent hostiam (secundùm quod dictum est in Lege Domini) par turturum, aut duos pullos Columbarum. ℟. Laus tibi Christe.

℣. Post Partum Virgo. &c. ℟. Dei Genitrix, &c.

Oremus.

DEus, qui hanc famulam tuam de pariendi periculo liberâsti, & eam in servitio tuo devotam fecisti, concede, ut temporali cursu fideliter peractô, sub alis tuis misericordiæ tuæ vitam quietam & perpetuam consequatur.

Deus, qui corda fidelium S. spiritûs illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, qui salutis æternæ B. Mariæ Virginitate fœcundâ, humano generi præmia præstitisti, tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dom. N. Jesum C. &c.

℣. Dom. vobisc. ℣. Benedicamus Dom. &c. Benedictio Dei &c. *ut suprà.*

Contra innaturalem Materni Lactis defectum, desiccationem aut ablationem.

In Nomine Pa † tris, & Fi † lii, & spiritûs † S.

EXtinguatur in te NN. omnis virtus diabolica in virtute, quâ tu Deus destruis potentias tibi contrarias: dissipetur ad impositionem sacerdotalis manûs, cui talem dedisti potestatem, quævis Sathanicorum

eorum ministrorum nocendi facultas, nec vim ullam habeat, si quam in hac famula Dei exercuerint: abscedat malignitas hæc, quam fecerunt in illam, ad invocationem Sanctissimi nominis Jesu: pellatur & procul depellatur malignantis manûs versutia: & loco illius tantam Bene ✝ dictionis tuæ gratiam accipiat de manu tua hæc famula, ut per dexteram potentiæ tuæ avertantur retrorsum, qui volunt illi mala. Avertantur statim, & qui insurrexerunt in eam injustè, confundantur, ut ipsa de sua liberatione lætetur. Erue eam Domine, de manibus eorum, qui apposuerunt nocere ei: & sicut tu Deus meus es ille potentissimus, qui fecit potentiam in brachio suo, Israel liberando ab omni malo; sic Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, libera hanc famulam tuam à præsenti uberum suorum contagio, malóque hoc malefico per gratiam, quam Sacerdoribus tuis contulisti ad conterendas adversi hostis insidias; per dilectum Filium tuum, in quo tu tibi benè complacuisti; per nomen sanctum ejus, in quo omne genu flectatur cœlestium, terrestium & infernorum; per Sacratissimam ejus Crucem, quâ Dæmonum potestatem devicit: per Passionem denique & mortem Domini nostri Jesu Christi; qui venturus est judicare, &c. ℟. Amen.

℣. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem tuam propter inimicos tuos.

℟. Ut destruas inimicum & ultorem.

Oremus.

DEus, qui dignatus es huic famulæ conferre prolis fœcunditatem, eam de pariendi periculo liberare, dolores partûs ejus per partum B. Mariæ Virginis in gaudium vertere: digneris etiam per intercessionem

onem ejusdem B. M Virginis illi in prolis suæ indigentiam tribuere Materni Lactis pabulum, cujus innaturalem defectum patitur: præstante te Jesu Christe per Beata Ubera, quæ tu suxisti, & per Lac, quo te Virginis Ubera lactaverunt, ut & parvulus iste, redditô Matri suæ Lacte, idipsum in corporalis vitæ suæ alimentum ex Matris uberibus habere ac sugere valeat, depulsâ procul ab iis invidorum hominum fascinatione, sicut huic in spiritualem animæ salutem baptismatis gratiam donâsti, ac deinceps tibi vivat, vitámque cum Matre sua consequi mereatur sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

---

§. 10.

DE QUIBUSDAM APPLICABILIBUS, probatísque remediis tàm corporalibus quàm spiritualibus adversùm afflictiones varias.

NB. *In praeuntibus benedictionibus ac Exorcismis sæpè memini istius* Lytaniæ Catholicæ de omnibus Sanctis; *& non sine causa: nam & hac fuit Ecclesiæ etiam veteri nota, probata & familiaris, quâ nimirùm utebatur pro peccatis, pro peste, pro salute corporis, pro Cœli temperie, pro terra fœcunditate, pro conservatione frugum & cæteris denique necessitatibus: huc etiam* Sanctorum *præsidia invocans, ut testatur Hom. in Lytaniis* D. Euseb. Emissenus, *qui vixit anno. 350.*

NB. Sacer-

NB. *Sacerdoti commendatur.*

Crux sacra, cujus forma hic apponitur, quoties benedicit, aut Exorcizat, agrósque invisit.

J. N. R. J.

Crux Domini mecum.

Crux mihi refugium.

Vicit Leo

†

Fugite par- I H S tes adversæ.

de tribu

Crux mihi certa salus.

Crux est, quam semper adoro.

Juda

Radix David

Apoc. 5.

NB. In istis quadratis sex vacuis loculis possunt imponi SS. Reliquiæ, cera, Agnus Dei, &c. & escludi vitro.

Contra

Contra imminentes Tempestates, Tonitrua, Fulgura, Grandines, &c.

Ordinatio Vicariatûs Coloniensis.

Litaniæ de omnibus Sanctis. *In quibus bis dicatur*: à fulgure & tempestate. *In fine earum Ps.* 147. Lauda Jerusalem Dom. *ex Offic* B. *Virg. posteà*,

℣ Adjuva nos Deus salutaris noster.

℟. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum,

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Fiat misericordia tua Domine super nos.

℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Salvum fac populum tuum Domine.

℟. Et benedic hæreditati tuæ.

℣. Non privabis bonis eos, qui ambulant in innocentia.

℟. Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

℣. Dom. Exaudi, &c. ℣. Dom. vobisc. &c.

Oremus.

Deus, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

A Domo tua, quæsumus Domine, spiritales nequitiæ repellantur, & aërearum discedat malignitas tempestatum.

Domine Jesu, qui imperâsti ventis & mari, & facta

facta fuit tranquillitas, exaudi preces familiæ tuæ, & præsta, ut hoc signô S. Crucis † omnis discedat sævitia tempestatum.

Omnipotens & misericors Deus, qui nos & castigando sanas & ignoscendo conservas; præsta supplicibus tuis, ut & tranquillitatibus optatæ consolationis lætemur, & donô tuæ pietatis semper utamur.

Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicibus tuis, ut post noxios ignes nubium, & vim procellarum in misericordiam transeat laudis, comminatio tempestatum. Per Dom. &c. ℟. Amen.

Deinde per 4. mundi latera aqua lustralis in modum Crucis aspergatur ad singula latera dicendo: In nomine Patris, † & Filii †, & Spiritûs † S. Amen. *Quòd si tempestas diutiùs duret, supradictum. Psalmum sæpiùs repeti conveniet. Ubi verò exortum fuerit incendium aliquod sæviens, addatur, quod sequitur*:

Extinguat te ignis Deus † Pater. Extinguat te Deus † Filius. Extinguat te Deus Spiritus † S. Destruat te ignis Deus † Pater. Destruat te ignis Deus † Filius. Destruat te ignis Deus Spiritus † S. Annihilet te ignis Deus † Pater. Annihilet te ignis Deus † Filius. Annihilet te ignis Deus Spiritus † S. Amen.

℣. Cùm iratus fueris Domine, misericordiæ recordaberis.

℟. Deus virtutum converte nos; respice de cœlo, & vide, & dissipa flammam istam.

Oremus.

Deus, qui ad ostendendam virtutem potentiæ tuæ misisti Angelum tuum, qui excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi

ventum roris flantem: imploramus immensam bonitatis tuæ clementiam, ut ad amplificandam gloriam nominis tui eundem Angelum mittere digneris, qui excutiat flammam hanc, & extinguat incendium, quod sævit in bona servorum tuorum. Per Dom. N. J. C. F. tuum, qui. &c. Amen. *Aspergatur, inque ignem projiciatur schedula* S. Agathæ *pag.* 97.

Remedium contra Morbum Caducum Multoties salubriter probatum. Ex circulo aureo Venetiis ac Bassani typis Joan. Ant. Remondini.

NB. *Laborans simili morbô, si adultus sit, vel si puer aut infans, parentes ejus statim voveant* 3 *Sacra, unum in honorem* S. Huberti, *alterum in honorem* S. Cornelii, *tertium in honorem* S. Antonii Abbatis, *& hoc uno, duobus vel tribus diebus subseq. deinde debent dici (vel à laborantibus, vel à parentibus aut aliis quibuscunque)* 3. *diebus subseq.* 7. *Pater & Ave, &* 7. *Credo & super infirmum legantur sequentia:*

℣. Adjut. &c. ℣. Dñe exaudi. &c. ℣. Dñus vob. &c.

Oremus.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere; ut cuncta nostra operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per C. D. N. Amen. *Deinde flexis genibûs dicantur* Litaniæ B. Mariæ V. cum Pater nost.

℣. Salvum fac servum tuum N.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Do-

℣. Dominus opem ferat illi. ℟. Super lectum doloris ejus.

℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobisc. &c.

Oremus.

EXaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis. ut pariter indulgentiam tribuas benignus & pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Sequens Oratio legitur ter.

DEus infirmorum singulare præsidium, & certa salus, miserere famuli tui N. infirmi per intercessionem SS. tuorum trium Regum, *Casparis*, *Balthasaris*, & *Melchioris*, nec non per merita SS. tuorum *Cornelii*, *Huberti*, *Antonii Abbatis*, *Sebastiani*, *Valentini*, *Apollinaris*, & aliorum cœlestium auxiliatorum in morbo Epileptico, eum à morbo caduco liberare, & ab omni dolore liberare & conservare digneris. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

NB. *Potest hæc sequens Oratio appendi Collo infirmi per 3. dies.*

COncede hunc famulum tuum N. quæsumus Domine Deus, perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosâ B. Mariæ V. intercessione à præsenti liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitiâ. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Sequentia † S Evang. † secundùm Marcum. †

In illo tempore recumbentibus undecim Discipulis. &c. *pag* 151.

℟. *Laus tibi Christe.*

Per sacra Evangelii verba tollantur & destruantur in N. omnia diabolica opera. Amen.

NB. Imponens dexteram cum Stola supra caput infirmi dicat:

SUper ægros manus imponent, & benè habebunt: JEsus Mariæ Filius, mundi salus & Dominus, meritis & intercessione SS. Apostolorum Petri & Pauli, SS. trium Regum, *Casparis*, *Balthasaris*, & *Melchioris*, necnon *Cornelii*, *Huberti*, *Antonii Abbatis*, *Sebastiani*, *Valentini*, *Apollinaris*, aliorúmque cœlestium auxiliatorum in morbo Epileptico sit tibi clemens & propitius. Amen.

NB. Pollice signet infirmi caput & cor, dicátque:

Per signum S. † Crucis & donum S. Spiritûs det tibi Dominus sanitatem perpetuam. Amen.

Aspergat aquâ bened.

Remedium contra Philtrum propinatum & Corporale & Spirituale.

1. Accipe Rutas pulverizatas, ceram baptismalem, & partem ex illis 5. granis Cerei, quibus manè & vespere caput fumiga.

2. Antequam vadis cubitum, intinge Linteolum in succo rutarum, & fronti impositum per totam habebis noctem.

3. Accipe malvas, rutas, & perforatas seu hypericon fac ebullire in aqua solemni *bened pag.* 4. quâ per 8. aut 10. dies continuos lavabis pedes & brachia.

Reme-

Remedium contra dolores Stomachi & gutturis, quos habuit aliqua persona post solutam maleficam avulsionem.

1. Manè dum surgis, & vespere dum cubitum vadis, accipe duas drachmas benedicti Olei (*de quo* *pag.* 115. *vel infra pag.* 223.) & sex uncias jusculi vitulini non salsi, & sume.

2. Eodem oleo bened. te unge, & signum S. Cru† cis forma in seq. partibus: in fronte, in utroq; oculo, in aure, in arteriis manuum, pedúmque, in corde, in fossula cordis, & in gutture seu faucibus, ubi senseras dolores.

NB. Cùm usus Philtrorum sit Diabolicum inventum, cum quo etiam ordinariè concurrunt maleficia, hinc quoque oportet hujuscemodi infiçiatos juvare remediis spiritualibûs, qualia sunt:

1. Maceratio carnis, corporísque castigatio.
2. Vitatio conspectûs rei amatæ.
3. Occupatio mentis in curis gravioribus & piis.
4. Lectio spiritualium librorum.
5. Cogitatio mortis, Judicii, inferni.
6. Meditatio Passionis Domini.
7. Frequens usus Sacramentorum.
8. Labor honestus, quô mens avertitur à nefario amore.
9. Applicatio Exorcismorum. *pag.* 149. 157.
10. Mutatio loci, lecti, Cameræ.
11. Ecclesiæ preces, *quales huic malo maximè accommodata sunt, videlicet*:

Oremus.

VRe igne S. Spiritûs renes nostros, & cor nostrum

ſtrum Domine: ut tibi caſto corpore ſerviamus & Mundo corde placeamus. Per Dominum. &c.

Oremus.

DOmine adjutor & protector noſter adjuva nos, & refloreat Cor & Caro noſtra vigore pudicitiæ, & Caſtimoniæ novitate: & ab omnibus quæſumus tentationibus emundemur. Per Dom. &c.

Oremus.

DEus, qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatoris Majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut famulum tuum de tua Miſericordia confidentem cœleſti protegas benignus auxiliô, & aſſiduâ protectione conſerves: ut tibi jugiter famuletur, & nullis tentationibus à te ſeparetur. Per Dom. &c.

Oremus.

OMnipotens & mitiſſime Deus, reſpice propitius ad preces noſtras, & libera corda noſtra de malarum tentationibus cogitationum: ut S. Spiritûs dignum fieri habitaculum mereamur. Per Dñum. &c.

Oremus.

DEus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæſumus, corda noſtra gratiæ tuæ ſplendore: ut digna ac placita Majeſtati tuæ cogitare ſemper, & te ſincerè diligere valeamus. Per Dominum noſtrum. &c. ℟. Amen.

Remedia contra Febres, peſtem & alias infirmitates naturales.

Litaniæ de omnibus Sanctis *cum 4. collectis de pœnitentia, quibus adhuc addenda ſunt ſeq.*

Ore-

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo (*famulâ tuâ*) pro quo tuæ misericordiæ imploramus auxilium, ut redditâ sibi sanitate gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per C. D. N. Amen.

Oremus.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum (*famulam*) ostende virtutem, ut ope Misericordiæ tuæ adjutus Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur. Per D. N. J. C. F. tuum, qui, &c. ℟. Amen.

Lectio Epistolæ B. Jacobi Apost. c. 5.

INfirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum Oleô in nomine Domini. Et Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra: & orate pro invicem, ut salvemini: multùm enim valet deprecatio justi assidua. Tu autem Domine miserere nobis. ℟. *Deo gratias.*

Seq. S. Evang. secundùm Lucam. c. 4.

IN illo tempore: Surgens autem Jesus de Synagoga, introivit in Domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam, imperavit febri, & dimisit illam. Et continuò surgens, ministrabat illis. ℟. *Laus tibi Christe.*

Per Evangelica dicta reddat tibi Deus sanitatem mentis & corporis. Amen.

Ex

Ex Psalmis.

Domine non ſecundùm peccata noſtra, quæ fecimus nos; neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.

Domine, ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, citò anticipent nos Miſericordiæ tuæ: quia pauperes facti ſumus nimìs.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata eſt valdè.

Miſerere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus.

Infirmata eſt in paupertate virtus mea: & conturbata ſunt.

In Deo ſperavit cor meum, & adjutus ſum: & refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei.

Miſit Dominus verbum ſuum, & ſanavit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.

Poſſunt hæc ſæpiùs reiterari; aut legi preces ſeq.

MODUS ORANDI ſuper febricitantes ex S. Ambroſio.

NB. Febricitans Confeſſus & S. Eucharîſtiâ refectus 5. continuis diebus jejunus genuflectat, teneátque candelam bened. accenſam, Sacerdos verò manum ſuper eum imponens dicat:

Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Jeſus Mariæ Filius mundi ſalus & Dominus, meritîs Sanctorum ſuorum ſit tibi Clemens & propitius: & liberet

liberet te ab omni febri, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Justus es Domine, & rectum judicium tuum. Fac cum servo tuo secundùm Misericordiam tuam.

℣. Dom. vobisc. &c. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotentem Deum, qui per SS. Apostolos & Martyres suos diversa sanitatum dona largitur, fratres charissimi deprecemur, ut huic famulo suo (*famulæ*) qui febris vexatione fatigatur, fidelissimi famuli sui *Sigismundi* precibus clementer occurrat: qui, dum nobis illius patefecit merita, isti conferat medicinam. Per C. D. N. ℟. Amen.

Lectio Epistolæ B. Jacobi Apostoli.

CHarissimi, tristatur aliquis vestrûm? oret: æquo animo est? psallat: infirmatur quis? *perge ut supra, &c.* pag. 219.

Deus refugium factus es nobis à generatione & progenie. Alleluja. ℣. Dñus vobisc. &c.

Seq. S. Evang. secundùm Lucam ùt supra. 219.

Det ei librum ad osculandum.

Infirmorum propitiator, abjectorum protector, desperatorum salvator, Deus Patris mei, & Deus hæreditatis Israël: dominator Cœlorum & terræ, Creator aquarum, & Rex totius creaturæ: exaudi preces nostras, & ad aures misericordiæ tuæ supplicantium vota perveniant.

℣. Adjutorium nostrum. &c. ℟. Qui fecit. &c.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui contulisti fidelibus tuis remedium vi-

tæ post mortem, ut sanos se esse sentiant, quibus Paradisus patet: præsta quæsumus; ut, quod fideliter in nomine electi tui *Sigismundi* pro infirmitatibus petimus, famulus tuus, qui febrium patitur molestiam, celerem medicinam consequatur. Præsta ergò Domine, ut, quicunque sub conspectu nominis tui nomen famuli tui *Sigismundi* invocaverit, ad sanitatem pristinam ex tua gratia se pervenisse protinùs sentiat. Per D. N. J. C. Amen.

℣. Dom. vobisc. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum & justum est.

VErè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui peccata nostra portavit in corpore suo, cujus vulnere plagarum sanati sumus; cujus tactu vis febrium recessit; cujus sermone confestim surdus audivit: cujus jussu mutus fari non distulit, claudus cucurrit, cæcus vidit, ægrotus convaluit, quatriduanus de sepulchro surrexit. nunc ergò Domine, donum Majestatis tuæ agnoscimus, requiem esse homini pacifico. Tu namq; omnipotens æterne Deus, qui inter bellatorum tumultus, & adversariorum persecutiones famulo tuo *Sigismundo* triumphum Martyrii contulisti, secutus gratiam, secutus misericordiam, ut post mortem ostendat virtutem, quam ante mortem firmavit. In fide enim tua dona sunt Domine, ut in nomine electi tui *Sigismundi* per communicationem corporis & sanguinis D. N. J. C. tempestatem frigoris excutias,

febrium

febrium ardorem repellas, & præsentem famulum tuum N. ad sanitatem pristinam revocare digneris, per C. D. N. Per quem Majestatem tuam. &c. *ut in Præfatione. &c.* Sanctus, Sanctus. &c.

Non est aliud refugium, nisi in te sperare, Christe: precibus supplicum tuorum, libera nos Domine. ℣. Dom. vob. &c.

Oremus.

DEus, qui omnem infirmitatem & omnem languorem ab humanis corporibus tuâ pietate depellis: adesto propitius servo tuo N. (*famulæ*) & ad pristinam sanitatem citò eum revocare digneris. Per D. N. J. C. &c. *Aspergatur infirmus, & unaquaque die ungatur oleò benedictô [Bened. subseq] in fronte dicendo:*

Per istam sanctam Unctionem, & piissimam Dei misericordiam libero te ab omni febre. In Nom. Pa✝tris & Fi ✝ lii & spiritûs ✝ S. Amen.

Benedictio Olei probatissima.

Ad expellendas omnes Facturas, Maleficia, Ligaturas, & omne opus nefarium Diaboli de humanis corporibus, quæ ab aliquibus adscribitur S. Cypriano.

℣. Adjut. &c. ℟. Qui fecit. &c.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Adjuva nos Deus salutaris noster.
℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Exor-

Exorcismus

EXorcizo te immundissime spiritus, omnis incursio Satanæ, & phantasma, in nomine Dei Pa†tris, in nomine Dei Fi † lii, in nomine Dei spiritûs † S. ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici potatio spiritualis ad sanandum infirmos, ut in eis possit habitare spiritus S. Per nomen Dei Patris, per nomen D. J. C. dilectissimi filii ejus; qui venturus est judicare vivos. &c. Amen.

Oremus.

EMitte Domine septiformem spiritum S. Paracletum de Cœlis in hanc pinguedinem Olivæ [vel *Olei*] quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem mentis & corporis, ut suâ bene†dictione sit semper tangenti tutamentum mentis & corporis ad evacuandos omnes humores melancholicos, omnes dolores, omnes infirmitates, omnésque ægritudines mentis & corporis, unde unxisti Reges, Prophetas & Martyres unctione sanctâ tuâ perfectâ. Domine abs te ostende nobis, ut benedictum permaneat in visceribus famulorum tuorum - in nomine Dom. N. J. C. qui tecum & cum spiritu S. vivit. &c. Amen.

NB. Hic Sacerdos habeat vexatum, seu maleficiatum præsentem, si commodè fieri potest; & positis manibûs super caput ejus, adjuret Dæmonem hoc modô.

ADjuro te, ô Satana, & omnes malignos Spiritus per nomen Dei vivi †, veri †, Sancti †, per nomen & merita V. Mariæ; per potestatem omnium spirituum cœlestium: & per novem Ordines cœlestes, in maledictionem, confusionem, & augmentum pœnarum tuarum in centuplum de die in diem. usque ad ultimum tremendum diem finalis judicii

dicii augendarum, si nunc non recedas, maledicte Satana, ab hoc famulo Dei N. per eum, qui venturus est judicare vivos. &c. Amen.

Conjuratio.

ITerum conjuro te, ô † Satan, quòd non requiescas, neque cessas à labore continuo de loco, in quo es, penitùs removere ab officio & societate damnata cujuscunque principatûs, & tuam, & omnem malignam fascinationem ab hac creatura Dei N. facturas, infirmitates, & dolores animæ & corporis: per verba conjurationis prædictæ, maledicte Satana, sit nomen & opus tuum confusum, & maledictum in æternum, & ultra à Deo omnipotente, & à me per potestatem mihi traditam super te, non solùm in baptismate & aliis Sacramentis, sed etiam per administrationem veri corporis & sanguinis D. N. J. C. mihi per authoritatem BB. Apostolorum Petri & Pauli concessam. Et si fueritis rebelles & contumaces & mihi inobedientes, conjuro contra te & contra vos omnes spiritus infernales, qui vos nefarios spiritus cum festinatione, quatenùs per virtutem illius nominis, quod Moyses nominavit; & tunc absorpti fuerint à cavernis abyssi *Dathan* & *Abyron*, & in virtute illius nominis usque ad profundum abyssi, usque ad ultimum diem vos religent. Amen.

Seq. S. Evangelii secundùm Marcum, c. 16.

In illo tempore: recumbentibus &c, pag. 151.

Adjuratio.

ADjuro etiam, vos immundos spiritus, per eum, *qui erat, qui est, & qui venturus est*: qui crea-

creavit & redemit nos suo sanguine, per Crucem, mortem, sepulturam, & resurrectionem suam: qui hìc præsens & ubique est; qui dixit: *Ubi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi in medio eorum sum*; & per nomen ejusdem D. N. J. C. ut hinc statim recedatis cum maleficiis & facturis vestris, nunquam redituri. In nom. P. † & F. † & sp. † S. Am.

℣. Adjut. &c. ℟. Qui fecit. &c.

℣. Exurge Christe adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

Oremus.

O Potestas immensa, O Trinitas individua, æterne spiritus S. Te omnes Christicolæ exoramus, ut potentiam & misericordiam tuam super hanc creaturam tuam porrigas: & ab omni spiritu immundo tuâ pietate liberare digneris. Qui vivis & regnas. &c. Amen.

Benedicat te creatura Olei † imperialis Majestas: protegat te † Regalis divinitas: defendat te † immensa Trinitas: foveat te † gloriosa Unitas: dirigat te † inæstimabilis Bonitas: regat te † potentia Dei Patris: vivificet te † Sapientia Dei Filii: deducat te † Virtus spiritûs S. *Alpha, & Omega*, DEUS Sabaoth. Sit ista invocatio, ut det tibi ad omne malum depellendum virtutem. Crux † Christi salvet te. Duodecim Apostoli te † custodiant: SS. Martyres te † adjuvent. Ss. Confessores te † benedicant. Omnes Ss. Sacerdotes novi & veteris Testamenti te exor † cizent & sancti † ficent. Ss. Angeli, Archangeli, Throni & Dominationes, Principatus & Potestates, Virtutes Cœlorum, Cherubim & Seraphim te † defendant: Virtuosus Deus Trinus & Unus te bene † dicat,

dicat, & det tibi contra omne malum, & ad omnes Facturas & Maleficia virtutem, ut per te possim destruere, eradicare & evellere de animabus & corporibus humanis omnia Maleficia, omnes Incantationes, Ligationes, Facturas, & omne opus nefarium diaboli. Per C. D. N. Amen.

Cujus olei Benedictio jam praecessit, idipsum nominatur apud N. Valerium polid. *in dispersione Dæmon.* pag. mihi 227 *Oleum potabile cum Jure ad expellendas omnes Facturas, quarum nocivi effectus fiunt circa ventrem; nunc verò subjiciuntur hic dicti olei Benedictiones ad bibendum & ad ungendum facturatos.*

℣. Adjut. &c. ℟. Qui fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt.

Exorcismus.

EXorcizo te creatura Olei per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum: ut omnis virtus adversarii; omnísque incursio, & omne phantasma Satanæ eradicetur à te; ut fias omnibus, qui te sumpserint, medicina ad expellendas omnes facturas, & fuganda omnia Maleficia Satanæ & Ministrorum ejus, & ipsum inimicum expellere cum omnibus Maleficiis, Incantationibus, Ligationibus, Signaturis & Facturis valeas. In nomine Patris † omnipotentis, in charitate Jesu † Christi D. N. Filii ejus, qui vivit & regnat cum spiritu sancto Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

CReaturarum Deus omnium, & Domine Creator, qui per Moysen famulum tuum, permixtis herbis aromatum, fieri præcepisti sanctificationem unguenti

unguenti, clementiam tuam ſuppliciter depoſcimus: ut huic Oleo, quod oliva, te jubente, produxit, ſpiritualem gratiam largiendo, plenitudinem ſancti-fi † cationis infundas: ſit Domine fuga dæmonum & omnium maleficiorum, incantationum, ligationum, facturarum, ac omnium operum Satanæ exterminatio: & præſta nobis, Domine S. Pater omnipotens, æterne Deus, ut, quicunque ex hoc Oleo biberint, & devotè uncti fuerint, ſit eis perfecta medicina contra omnes diabolicas machinationes, facturas, ligationes, & ſignaturas, ac malignos Spiritus. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum qui lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. In nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † Sancti. Amen.

Exorciſmus.

EXorcizo te, creatura Olei in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † Sancti, ut per hanc invocationem, individuæ Trinitatis, ac unius virtute Deitatis omnis nequiſſima virtus adverſarii; omnis inveterata malitia diaboli, omnis violenta incurſio, omne confuſum & cœcum phantaſma eradicetur, fugetur, & diſcedat ab hoc Oleo: & omnes, qui ex eo, uſi fuerint, fiat ſanitas ſuper eos ab omni maleficio diabolico, ut non poſſit latere ulla malignorum ſpirituum nequitia. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum P. & Spir. S. vivit. &c. Amen.

Oremus.

DEus omnipotens, ſanctificationum dominator, cujus pietas ſinè fine ſentitur. Deus, qui cœleſtia & terrena ſimul moderaris & complecteris ſervans miſericordiam populo tuo ambulanti ante conſpe-

ſpectum gloriæ tuæ. Exaudi, pie Domine, preces ſervorum tuorum, & copioſa tua bene † dictio deſcendat in hoc oleum in honore nominis tui, & victorioſæ crucis † tuæ: & in honore SS. omnium totius cœleſtis curiæ. Tu, O clementiſſime Pater, Sancti†fica, & miſerator illuſtra †, proprio ſplendore clarifica †: ut omnis, qui devotè ſumpſerit, ab omnibus ſpiritibus immundis ab operibus eorum ſanetur & ſalvetur propter nomen tuum magnum, & manum tuam fortem, & brachium tuum excelſum. Et tu, Deus altiſſime, libenter protege, & dignanter libera eos ab omnibus ſpiritibus immundis, maleficiis incantationibus, ſignaturis, facturis, & ab omni opere Satanæ liberare digneris propter nomen tuum magnum & admirabile, & liberatos æternâ redemptione conſerva, ut ſemper felices, ſempérque in tua gratia lætantes, conſtanter in iſtam confeſſionem Trinitatis in fide catholica perſeverent. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum qui, &c.

Aſpergatur.

NB. Cùm ſingula membra infecta vel ſaucia, quantùm honeſtas permittit, ungenda ſint; Sacerdos hoc Oleo aliquem infirmum uncturus dicat ad ſingulas unctiones.

Ego Ungo te N. hoc Oleô benedictô, & per iſtam Unctionem reſtituat te Dominus in priſtinum ſtatum, & conſervet te in omni ſanctificatione & virtute: in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † S. Amen.

Peractâ Unctione. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiſcum. &c.

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte, qui es ſalus & medicina vera, è quo omnis ſanitas & proſperitas dimanat: qui inſti-

instituisti, ut languidos Olei liquore in salutem ungamus. Quæsumus, clementiam tuam, ut diabolicâ vexatione laborantem sanare digneris: fiátque hæc olei sancti perunctio morbi præsentis expulsio. Et sicut ego oleô sanctô tuô creaturam tuam unxi, sic & tu divinâ medicinâ digneris eum ungere, & ab infirmitate sua liberare. Qui vivis & regnas, &c.

REMEDIUM CONTRA PESTEM Crux S. Zachariæ.

†
Z.
†
D. I. A.
†
B.
†
H. G. F. I. Z. B. F. R. S.
†
S.
A.
B.
†
Z.
†

Relatio, Expositio, Benedictio.

Relatio.

Franciscus Salaras Episcopus Salamania testimonio est, tempore Concilii *Tridentini ultra* 20. *Episcopos, Ordinúmque Generales*| *fuisse peste absumptos, qua tunc* 1546. *grassabatur : sed quamprimùm Antiochiæ Patriarcha persuaserat devotam deportationem horum Characterum in præsenti forma dispositorum, à S. Zacharia Episcopo Hierosolymitano Collectorum, & ab eodem explanatorum, reliqui omnes à peste conservati, imò & præservati remanserunt incolæ Domorum, quarum januis inscripti erant. Unde refertur esse utile remedium pro avertendo malo contagionis, ita, ut ab illo tempore eum in finem piâ veneratione deferri consueverit.*

Expositio Characterum.

†. Crux Christi salva.

Z. Zelus Domûs tuæ liberet me.

†. Crux vincit, Crux regnat, Crux imperat, per signum Crucis libera me Domine ab hac peste.

D. Deus, Deus meus repelle pestem à me, & à loco isto, & libera me.

I. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, cor & corpus meum.

A. Ante cœlum & terram Deus erat, & Deus potens est liberare me ab ista peste.

†. Crux Christi potens est àd expellendam pestem ab hoc loco, & à corpore meo.

B. Bonum est præstolari auxilium Dei cum silentio, ut expellat pestem à me.

I. Inclinabo cor meum ad faciendas justificationes tuas, ut non confundar, quoniam invocavi te.

Z. Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns, & speravi in te.

†. Crux Christi fuget Dæmones, aërem corruptum, & pestem expellat.

S Salus tua ego ſum, dicit Dominus, clama ad me, & ego exaudiam te, & liberabo te ab hac peſte.

A. Abyſſus abyſſum invocat, & voce tua expuliſti Dæmones: libera me ab hac peſte.

B Beatus vir, qui ſperat in Domino, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.

† Crux Chriſti, quæ antea fuit in opprobrium & contumeliam, & nunc in gloriam & nobilitatem, ſit mihi in ſalutem, & expellat à loco iſto Diabolum, & aërem corruptum; & peſtem à corpore meo.

Z. Zelus honoris Dei convertat me, antequam moriar, & in nomine tuo ſalva me ab iſta peſte.

†. Crucis ſignum liberet populum Dei, & à peſte eos, qui confidunt in eo.

H. Hæccine reddis popule ſtulte? redde vota tua offerens Sacrificium laudis, & fide illi, quia potens eſt iſtum locum, & me ab hac peſte liberare, quoniam, qui confidunt in eo, non confundentur.

G. Gutturi meo & faucibus meis adhæreat lingaa mea, ſi non benedixero tibi: libera ſperantes in te; in te confido, libera me Deus ab hac peſte, & locum iſtum, in quo nomen tuum invocatur.

F. Factæ ſunt tenebræ ſuper univerſam terram in morte tua, Domine Deus meus, fiat lubrica & tenebroſa Diaboli poteſtas, qui ad hoc veniſti fili Dei vivi, ut diſſolvas opera Diaboli, expelle tuâ potentiâ à loco iſto, & à me ſervo tuo peſtem iſtam, diſcedat aër corruptus à me in tenebras exteriores.

†. Crux Chriſti defende nos, & expelle à loco iſto peſtem, & ſervum tuum libera à peſte iſta, quia benignus es & miſericors, & multæ miſerationis, & verax.

B. Beatus, qui non reſpexit in vanitates & inſanias falſas, in die mala liberabit eum Dominus, Domine in te ſperavi, libera me ab hac peſte.

F Factus eſt Deus refugium mihi, quia in te ſperavi, libera me ab hac peſte.

R Reſpice in me Domine, Deus meus Adonai de ſede Sancta Majeſtatis tuæ, & miſerere mei, & propter miſericordiam tuam ab iſta peſte libera me.

S. Salus mea tu es, ſana me, & ſanabor, ſalvum me fac, & ſalvus ero.

Bene-

Benedictio Characterum.
præfatæ Crucis.

NB. *Coincidit cum benedictione* Numismatum S. Benedicti. pag. *65. quapropser prudens Exorcista eò remittitur mutatis mutandis ; addendo tamen in fine seq. orat.*

Oremus.

Deus qui culpâ offenderis. &c. *pag.* 212.

DEus, qui justificas impium, & non vis mortem peccatoris: Majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulos tuos de tua Misericordia confidentes cœlesti protegas benignus auxiliô, & assiduâ protectione conserves, ut tibi jugiter famulentur, & nullis tentationibus à te separentur.

Benedictionem tuam, Domine, populus fidelis accipiat, quâ corpore salvetur, & congruam tibi exhibeat servitutem, & propitiationis tuæ beneficia semper inveniat.

Concede nos famulos tuos. &c. *pag.* 157.

DA nobis, quæsumus Domine, piæ petitionis effectum, & pestilentiam mortalitatémque propitiatus averte, ut mortalium corda cognoscant, à te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum. &c. Amen. *Aspergantur.*

REMEDIA SPIRITUALIA
Contra Dæmones Succubos & incubos.

NB. Dæmones Succubos hominibus, & præsertim Incubos infestos esse mulieribus, in comperto est teste S. August.

August. lib. 15. de Civit. *& aliis PP. non tamen in similibus tam facilè adhibenda est fides, maximè sexui fœmineo, mirabilium formarum in imaginibus susceptivo. Proinde Exorcista examinabit hæc prudenter cum Medicis & Theologis peritioribus. Quo factô, si quis Mas contra voluntatem suam, aut fœmella invita ejusmodi malô divexaretur; recurrendum erit non tam ad adjumenta humana, quàm remedia divina, qualia, pro Dæmonibus incubis & succubis pellendis, potissimùm sunt:*

1. Dolorosa & lacrymabilis contritio suorum peccatorum. Confessio sacramentalis. Oratio Dominica cum salutatione Angelica devotè prolata, SS. Eucharistiæ communio frequens. Pia exercitatio in crucis consignatione. Aspersio aquæ benedictæ. Jejunium. Eleemosyna. Jugis meditatio passionis Christi. Ecclesiæ preces. *ùt supra de philtro. pag.* 216.

2. Breve ex rebus Benedictis v. g. Auro, Thure, Myrrha, Cera, cereo paschali, sale exorcizato, Ruta, Agno Dei. &c. ponendæ sunt hæ res benedictæ in 4. angulos lecti, priùs tamen ab instrumentis maleficialibus, si quæ adfuerint, expurgati.

3. Benedictio Lecti, ejus & loci permutatio, de domo in domum ad inhabitandum. *Item* pia peregrinatio ad loca Deo & Sanctis dicata invisenda, quæ Dæmon cognoscitur expavescere.

4. Cùm Diabolica incubatio, utpote ex se valdè abominabilis, sit quædam species obsessionis, vel ei valdè affinis infestatio, multùm etiam valebit contra hanc afflictionem applicatio Exorcismi pro obsessis, *pag* 135. pro maleficiatis *pag.* 148. *item*, Excommunicatio, Dæmonum maledictio *ùt pag. 66. mutatis mutandis.*

5. ℞. Ra-

5. ℞. Radicum tussilaginis majoris, in pulverem contritarum, duarum Drachmarum pondere. Pulvis sumatur in vino, atque deinde sudare cogatur persona patiens.

6. ℞. 15. Granorum nigrorum Pæoniæ Fœminæ, redigantúrque in pulverem, & ex vino multo sumantur.

NB. *Videat etiam prudens Exorcista, utrùm hæc afflictio non infligatur à Deo aliquando fœminis ob nimiam curiositatem in vestibus, ornatu crinium & similibus, quibûs non contentæ, naturali sua pulchritudine, variis fucis & mediis student allicere viros in sui amorem. Quô fit, Deo permittente, ut fiant ludibrio Dæmonibus, quæ nimiùm in sua gloriantur pulchritudine. Tales seriò admonendæ sunt, ùt redeant ad cordis compunctionem, vitæ emendationem, ab hujusmodi laqueis abstineant, se séque componant ad modestiam, humilitatem & verecundiam decentem.*

FUMIGATIO HORRIBILIS
Ad expellendum Dæmonem & Maleficium solvendum.

Accipe Rutam, thus, & grana Juniperi. Vel *ùti habet noster valerius polid.* pag. mihi. 185.

Recipe	Galbani Sulphuris Assæ fœtidæ	Aristolochiæ Ypericonis Rutæ	Ana. Drag.

Benedictio hujus Dæmoniacorum suffumigii mutatis mutandis coincidit cum illa, quæ de pulvere torment. Posita est pag. 51. *hic verò sit.*

Alia

Alia Benedictio fumigationis cum Exorcismo.

EXorcizo te fumigabunda materia N. per Deum † omnipotentem, qui *pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem de cœlo, & subvertit civitates has, & omnem circa Regionem, universos habitatores Urbium, & cuncta terræ virentia*; ita, ut ascenderet favilla de terra, vidente *Abraham*, quasi fornacis fumum: ut bene†dicaris, & involvas ita Spiritus tenebrarum, quod in caligine infernalis horroris ipsis esse videatur, quamdiu humana corpora occupaverint, ita, ut statim à loco fugere cogantur fumum tormentorum suorum ascendere necesse esse intelligentes in sæcula sæculorum.

Oremus.

OMnipotens altitonans unice, qui post tonitrua multa, ac micantia sydera, post nubes densissimas montem Sinai operientes, ac clangorem buccinæ vehementiùs perstrepentem, Moysi famulo tuo loquenti, in igne, ascendente ex eo fumo quasi de fornace, respondisti; bene † dicere & sancti † ficare digneris in manu forti & brachio extento hanc fumigationis materiam; ut divinæ Majestatis adversarius, potentî fumô confusus, & virtute tuæ bene † dictionis prostratus tormentetur, ita & quatiatur, quòd victus existat te victore, qui vivis. &c.

Aspergatur, ignisque benedicatur uti pag. 123.

NB. Pro fumigatione ad Exorcismos Dæmonum etiam servit benedictio herbarum, Rutæ, Absynthii, Rosæ & Similium. Vid. pag. 104.

Pro-

Profumigatio contra Maleficia

Vulgò pulvis vel fumus sagarum. Valet pro quacunque diabolica invasione abolenda.

NB. Pro hoc incenso sumantur herbæ variæ, Ruta, Absynthium, Rosa, Semina Ypericonis, Storax, Myrrha, Caryophylla, &c. & benedic illa, ut sequitur:

℣. Adjutorium, &c. ℟. Qui fecit, &c.

Oremus.

EXorcizo te creatura profumigationis per Deum verum, per Deum S. per Deum, qui Moysi servo suo altare aureum sub tecto testimonii contra velum ad adolendum super eo incensum aromatum ponendum imperavit: ut bene † dicaris & sancti † ficeris divinâ desuper adveniente virtute, ut quicunque te super se portaverit, vel odoratu senserit, fiat sacrificium Domini in odorem suavitatis ad expulsionem diaboli, & maleficiorum destructionem, ut confortatus ab Angelo Domini bono semper existat, sicut *Zacharias* Sacerdos Domini, cùm Sacerdotio fungeretur, in ordine vicis suæ ante Deum, & sorte exiit, ut incensum poneret. Per eum, qui venturus est Jud. &c. Amen.

℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dominus vobisc, &c.

Oremus.

FOrtissime Deus Spirituum universæ carnis, quia apertè fuisti revelatus Domui *Eli*, cùm esset in Ægypto in domo *Pharaonis*, & elegisti eum ex omnibus tribubus Israël in Sacerdotem, ut ascenderet ad altare tuum, & adoleret incensum tibi: Et portaret *Ephod* coram te; dirigatur, quæsumus, oratio nostra sicut incensum in conspectu tuo, & propitius

ad

ad nostræ clemens respice officia servitutis, ut benedicere † & sanctificare † digneris hanc compositam effumigationis materiam; ut, quicunque in nomine tuo super se portaverit, vel odoratu senserit, ab omni infestatione diabolicæ tyrannidis, & maleficii oppressione salvus existat. Der Dominum nostrum Jesum Chlistum Filium tuum, qui tecum. &c.

Exorcismus.

ITerum Exorcizo te creatura per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † S. per SS. Trinitatem P. † F. † & Sp. S. & per Deum, qui creavit omnia ex nihilo; per eum, qui expulit pravos Angelos de cœlo ad ista inferiora; per J. C. F. ejus D. N. qui dabit prædestinatis felicissimè regnum æternum, & reprobis regnum infernale perpetuum; per omnia nomina Sancta ipsius Dei conjuro & Exorcizo † te, ut sis in defensionem nostram, & efficiaris perpetua fumigatio Exorcizata † benedicta † consecrata † in salutem nostram, & omnium fidelium Christianorum, & perpetua pœna sis omnibus malignis spiritibus, & fortissimus ac infinitus ignis eorum, & magìs, quàm sit infernalibus spiritibus sulphur & ignis infernalis, & omnis pœna, & omnia supra dicta sint nobis defensio & perpetua fugatio & expulsio, fugatio omnium spirituum & solutio omnium ligaminum ac facturarum, & Præstigiorum, ita, ut nihil prædictorum nos, nec aliquam creaturam, neque locum aliquem ullô modô offendere, & impedire valeat, per eum, qui venturus est. &c.

Oremus.

INeffabilem clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: ut, sicut tu es unus in

in essentia, & Trinus in personis, Pater, Verbum & Spiritus S.; ita per eandem immensam clementiam, & pietatem tuam, bene✝dicere digneris hanc tuam creaturam fumigationis, ut sit omnibus Christianis eam sumentibus odor & defensio perpetua contra omnes spiritus malignos, incantationes, præstigia, & maleficia: síntque perpetua malignorum spirituum, & maleficiorum expulsio, & omnium incantationum, facturarum ac præstigiorum annihilatio, ac dissolutio omnium ligationum, omniúmque maleficiorum dissipatio; ut, in quocunque loco odor ejus venerit, sive adfuerit, nullus spiritus, nulláq; incantatio Diabolorum, nulla spirituum malignorum potestas, nulla fascinatio, nullum maleficium, nulla Veneficarum molestia possit durare, neque stare aliquo modo: sed statim tuâ immensâ virtute & potentiâ fugiant perpetuò, & procul expellantur omnes insidiæ latentis inimici: ídque benignissime Deus pro tua misericordia præstare digneris. Per virtutem sanctissimæ Cru✝cis Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs S. Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. *Aspergatur dicendo*:

NB. *Quanquam omnes Maleficiati non liberentur propter malignitatem Maleficii, tùm quia renovantur incantationes, tùm propter notabilem negligentiam in applicandis remediis, aut sic disponente divinâ voluntate; remedia tamen Maleficiorum propulsativa omittenda non sunt ob spem, quâ nemo censetur privari. Qui verò plura ejusmodi applicabilia desiderat, consulat nostrum jam sæpe memoratum* Valerium Polidorum.

PARS



Hos idem junxit amor.

S. P. N. Franciscus instituit ordinem Minorum 1209. Clarissarum 1212. Tertiariorum 1221. miro æqualiter modo stansrequiescit in Sacrosancta Basilica Assisiensi PP. Minor. Conventual. quæ caput & mater totius Ordinis Minorum.

S. Antonius de Padua Minorum Gloria obiit 1231. requiescit pariter apud suos in templo Paduano Ordinis PP. Minorum conventualium, in quo ejusdem S Thaumaturgi lingua incorrupta asservatur.

PARS TERTIA

DE ARCHI-CONFRATERnitate Seraphici P. N. Francisci, ejus Sacra Chorda, Chordigeris, investitione puerorum, Tertiariis. *Item* de confraternitate & Novena S. Antonii Paduani, nec non de literis filiantiæ.

---

§. I.

DE ORTU ARCHI CONFRATERNItatis S. P. N. Francisci, ejúsque Sacra Chorda.

NB. *Confraternitates sæcularium, sive saccis induantur sive non, absque* Generalis, *vel saltem* Provincialis Ministri *licentia in Ecclesiis nostri Ordinis non erigantur, neque eis absque præfata licentia Altaria, Capellæ sive sacella donentur vel assignentur.* Ita const. N. Urb. in c. 3. reg. t. 5. n. 1. *& ubi nunc eriguntur, id similiter non fiat sine prævio consensu Ordinarii loci.* Ita Clemens VIII. *in Bulla*: quæcunque à sede. &c. *quam* constit. cit. n. 8. *in earum regulatione ad amussin servari volunt, alioquin omnibus indulgentiarum thesauris sese privatos noverint.*

Q. 1. Quisnam sit primus Erector hujus Chordigerorum Confraternitatis, sic nominatæ à Chorda gerenda?

R. Eam primùm inſtitutam ac motu proprio erectam fuiſſe in Ordinis ſui Eccleſia Aſſiſienſi *PP. Minorum S. Franciſci Conventualium* à SIXTO V. Pontificatûs ſui annô primô, id eſt, anno 1585. 19. Novembris; *tùm* ex peculiari ſuo, quo à teneris annis erga S. Franciſcum veluti gloriam ſuam afficiebatur, amore; *tùm* ad augendam plebis devotionem erga tantum virum; tùm denique in uniuscujusque ſalutem, Deíque præcipuè honorem & gloriam proùt liquet ex Bulla, quæ incipit: *ex ſuperna diſpoſitionis arbitrio. &c.* fol. 5.

Non tamen voluit eam ſolùm à ſe erectam eſſe in dicta Eccleſia noſtra Aſſiſienſi, verùm etiam, ut ad hanc ſuam normam reliquæ Eccleſiæ omnes per totum mundum gauderent erectione ejusdem erectæ Confraternitatis. Quapropter idem *Pont. Max.* in eadem ſua Bulla *Fri Clementi Bontadoſio ord. n.* p. t. exiſtenti *Generali* omnimodam conceſſit facultatem erigendi & inſtituendi quaſcunque Confraternitates, utriúſque ſexûs Chriſti fidelium Chordigerorum: hujusmodi in quibuscunque Eccleſiis, Domorum tàm *Minorum Conventualium*, quàm *Capucinorum*, & *de Obſervantia* nuncupatorum, *Fratrum Prædictorum*, in quibuſcunque mundi partibus, & locis. &c. *Vid. Bull, mag, tom.* 2. *fol.* 510.

Annô ſequenti dicta Confraternitas, jam Erecta, per eundem *Pont. Max.* conſtituta fuit in caput omnium aliarum tàm *apud nos*, quàm *PP. de Obſervantia* & *Capucinos* Erectarum, aut cum licentia *Miniſtri Generalis Conventualium* erigendarum, *per Bullam à ſe editam.* 1586. *divina charitatis altitudo. &c.* ſub his verbis; *ipſam Archi-Confraternitatem in caput*

om-

omnium Confraternitatum Chordigerorum hujusmodi, ubilibet institutarum, & instituendarum etiam perpetuò, Authoritate & tenore, præmissis erigimus, & instituimus &c. Bull. cit. fol. 511.

Q. 2, Quibus liceat Chordas benedicere ?

R. Solius Ordinis Sacerdoti, & nulli extraneo, cùm ejus benedictio sit Privilegium aliquod speciale Ordini tantummodò concessum & non aliis. Sunt autem benedicendæ à solis Prælatis *Generali, provinciali, Guardiano,* alióve Sacerdote potestatem habente *vi Bullæ Sixtinæ* sic de Chorda inquientis : *quæ priùs à superioribus dicti Ordinis benedici debeat &c.* Unde, qui non sunt superiores, eos oportebit licentiam petere; qualem tamen in conventibus semper habet Confraternitatis moderator à superioribus designatus. Solet autem benedictio Chordæ fieri hac formâ :

BENEDICTIO CHORDÆ
Archi - Confraternitatis B. P. N. Francisci.

℣. Adjutorium. &c. ℟. Qui fecit. &c.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.
℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dominus vobisc.

Oremus.

OMnipotens & misericors Deus, qui pietatis misericordiam, peccatoribus quærentibus veniam misericorditer tribuis, immensam tuæ largitatis abundantiam imploramus, ut has Chordas bene † dicere, & sancti † ficare digneris, ut qui (*vel quæ*) eis pro peccatis suis cincti (*Cinctæ*) fuerint, & misericordiam tuam imploraverint, veniam & indul-

gentiam tuæ piissimæ misericordiæ consequantur. Per Christum D. nostrum. Amen.

Oremus.

DOmine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui funibus in tua passione ligari voluisti, & B. Petrum Apostolum tuum à vinculis absolutum illæsum abire fecisti; te suppliciter deprecamur: ut hos funiculos, quos ad imitationem almi Confessoris atque signiferi tui B. P. N. Francisci in cingulum corporis sui, creaturæ tuæ elegeruut, ut Strictiùs sibi conjungantur, atque ferventiùs famulentur, ferre decreverunt, bene ✝ dicere, & unà cum famulis tuis, qui (*quæ*) eis cingentur sancti ✝ ficare digneris, ut eosdem gerentes sint lumbos suos castitate præcincturi (*cturæ*) sitque illis justitia cingulum lumborum suorum, & fides Cinctorium renum suorum. Da eis, quæsumus Domine, Spiritum S. tuum, qui eos (*eas*) in proposito bono conservet, fide & operibus augeat, omnium virtutum incrementa illis præbeat, dona sua concedat, & tandem ad æternam gloriam illis conducat, in qua vivis & regnas cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritûs S. Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui, ut servos multos absolveres, filium tuum unigenitum funibus ligari voluisti, bene✝dic, quæsumus Domine, funiculos istos, ut famuli tui (*famula tua*) qui (*quæ*) illis veluti ligamine pœnitentiali cingentur, vinculorum ejusdem filii tui Jesu Christi memores existant, & in Confraternitate, in quam assumun-

muntur, ac ſtatu devotionis ſalubriter perſeverent, atque à peccatorum ſuorum funibus ſoluti (*ſoluta*) ſe tuis cum effectu ſemper obſequiis ligatos [*ligatas*] eſſe cognoſcant, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Poſtea aſpergat aquâ bened. dicens:

Benedictio Dei Pa†tris & Filii † & Spiritûs † S. deſcendat ſuper has Chordas & maneat ſemper. Amen.

Cingendo:

ACcipe Cingulum iſtud ſuper lumbos tuos, & eſto paratus (*parata*) ligari & mori pro Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui præcingat lumbos tuos Cingulô puritatis, ut permaneat in te virtus continentiæ & humilitatis, ut memor exiſtens vinculorum ejusdem Redemptoris tui, omnibus diebus vitæ tuæ, Deo ſemper in omnibus obedias. In nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti. Amen.

Oremus.

DEus, qui B. Petro Apoſtolo tuo prædixiſti in ſenectute ſua per alium fore Cingendum, famulos tuos, (*tuas*) quos cingulô noſtræ Fraternitatis præcingimus, Chriſtianâ, quæſumus, conſtringe diſciplinâ, tuóque ſalutari corda eorum confige timore, ut tuâ opitulante gratiâ à vitiis liberi [*libera*] tuo ſemper Cincti [*-ta*] obſequio in ſtatu devotionis uſque in finem jugiter perſeverent. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.]

Oratio ab inſcribendo dicenda.

SAnctiſſime ac Seraphice Pater Franciſce, ego N. te hodie eligo in Patronum & Advocatum apud Deum, firmiterque ſtatuo, me nunquam te derelicturum:

cturum; neque contra te aliquid dicturum aut facturum, nec permissurum, ut à meis aliquid contra tuum, tuique Sancti Ordinis honorem unquam agatur. Obsecro te igitur: suscipe me in servum perpetuum; adsis mihi in actionibus omnibus meis, nec me deseras in hora mortis. Amen.

Germanicè.

O Heiliger und Seraphischer Vatter Francisce, ich N. erwehle dich heutiges Tags zu meinem Patronen und Vorsprecher, und nehme mir vestiglich vor dich niemahlen zu verlassen; noch zu zulassen, daß etwas wider deine, noch deines heiligen Ordens Ehr, noch durch mich, noch durch die Meinige geschehen solle. Ich bitte dich derowegen, nehme mich auff zu deinem Diener (Dienerin) und stehe mir bey in allen meinen Wercken, und verlasse mich nicht in meiner letzten Sterbstund. Amen.

NB. Hic nullum emittitur votum; nec adest aliqua promissio obligatoria.

Dein Pater Præses:

ET ego ex parte Ordinis nostri, authoritate ad id mihi concessâ suscipio te in Fratrem (*Sororem*) Archi-Confraternitatis nostræ, & participem te facio omnium privilegiorum, Indulgentiarum à Summis Pontificibus concessarum, si hæc observaveris. In nomine Patris & Filii & Spiritûs S. Amen.

Benedictio in fine Generalis.

BEnedictio Sanctissimæ Trinitatis, Patris † & Filii & Spiritûs sancti descendat super vos, ut sicut Chorda corpora vestra circumdat, ita animam fide

fide Jesu Christi, & bonis operibus decoretis, quatenus cœlestem gratiam in hoc sæculo, & in futuro gloriam habeatis æternam. Amen.

NB. Nunc assumpti nomen defertur in album Confratrum; quæ insctiptio omnino necessaria est: quatuor namque in universum requiruntur ab omnibus & singulis necessariò servanda. Nimirum:

1. Ut sacramentaliter confiteantur.

2. Ut sacram Eucharistiam sumant. Potest tamen quis priùs S. Chordam suscipere & inscribi, deinde confiteri & communicare, & sic indulgentiæ plenariæ particeps fieri: verùm hic ordo ob reverentiam Confraternitatis omnino servandus est, nisì evidentissima necessitas urgeat.

3. Ut ab habente potestatem Chordâ benedictâ circa lumbos cingantur.

4. Ut nomen recepti albo confratrum inscribatur. Quorum si aliquod defuerit, plenariam indulgentiam non consequentur.

Q. 3. Ex qua materia debeat esse Chorda?

℞. De materia aut subtilitate ejus parùm refert; sufficit, quòd sit ad formam earum, quibus nos cingimur; ita tamen, ut sit ex lino funiculus, non ex corio corrigium hoc enim videtur esse essentiale ad distinctionem ***Chordigerorum*** à ***Corrigiatis*** S. Augustini.

Q. 4. Quibus liceat Confratres recipere?

℞. Jus illud ùt plurimùm competere superioribus *vi Bulla Sixtina*, quæ sic habet: *Chordam .... à superioribus ejusdem Religionis cinctam & susceptam deferent. &c.* Unde receptio solùm est penes Prælatos Ordinis, sicuti & Benedictio Chordæ. *Uti supra.*

Valet tamen ſuperior alium deputare, & ratio eſt: quia authoritas hæc inſuperioribus eſt ordinaria, adeóque delegari poteſt, maximé ſubſiſtente cauſa, ſi quiſpiam infirmus v. g. Chordâ accingi & inſcribi deſideret, aut alia de cauſa ad locum congregationis accedere vetetur. Hinc Stationarii, Terminarii eventualiter toties, quoties excurrunt, ſibi de ejusmodi licentia ſemper provideant. Putarem tamen licentiam rationabiliter præſumptam ſufficere, cùm ſuperiores ob animarum bonum nunquam cenſeantur inviti. Qui verò quoſdam legitimè receperint, ſedulò curent, poſteaquam ab infirmo, aut à ſtatione vel termino redierint; ut eorundem nomina in confraternitatis librum deferantur ac inſcribantur, ob indulgentiarum lucrum, quô aliàs privarentur.

Q. 5. cujus ſtatûs & conditionis debeant eſſe ii, qui petunt recipi & inſcribi in hanc Confraternitatem?

R. Admitti poſſe cujuſcunque ſexûs conditionis Chriſti fideles, ſive ſint Eccleſiaſtici, ſive Religioſi, vel ſæculares, modò veſtem nuptialem habeant, id eſt; nulla publicâ infamiâ notati ſint: quâ, ſi laborent, jure meritiſſimo Introitus eis negabitur, donec infamiam eluerint; iniquum enim eſſe ob paucos diſcolos nomen bonæ Confraternitatis inter extraneos lacerari, aut malè audire.

Q. 6. Quisnam ſit finis nobiliſſimus hujus Confraternitatis, quam etiam ob ſuam nobilitatem adhuc per peculiarem Bullam confirmare voluit 1724. BENEDICTUS XIII. Pont. Max.?

R. Nobilitatem ſive excellentiam hujus Confraternitatis ſat inde liquere, quòd incorporati ſpeciali

modô

modò membra fiant, quæ gloriosè militant sub victorioso illo Jesu Christi Crucis vexillo; finem verò, quô præclarior non est, in eo consistere.

1. Ut recordaremur (*prout S. Chordæ benedictio etiam indigitat*) *tùm* Vinculorum Christi, quibus Passionis suæ tempore disrupit vincula peccatorum nostrorum; & quomodo *Pater nos traxerit ad se* per Filium suum *in funiculis Adam. Oseæ c.* 11. id est; charitatis? *tùm* ut nobis in memoriam refricaretur, qualiter nos nunc oporteat Exemplo S. P. Francisci Deo alligari in memoriam tantorum beneficiorum; *tùm* denique ut nobis ad oculum & ad vivum repræsentaretur Christi Passio, præcipuè 5. ejus Vulnera eòquod etiam *Seraphicus Pater* in suo mortali corpore meruerit portare *stigmata Domini Jesu. Gal. 6.*

2. Ut omnibus, mundo non abrenuntiantibus liceret communicare hujus Confraternitatis Apostolicas gratias indulgentias, privilegiáque Seraphico Ordini nostro concessa.

3. Ut constanter oculis nostris obversaretur debita mortis præparatio, qualis evenit ex Passionis Domini jugi meditatione & quotidiana 5. Vulnerum pia salutatione; cùm in securitatem beatæ mortis tota consolatio fundata sit in Christi meritis ejúsque pro nobis effusi sanguinis, de quo: 1. *Joan* 1. ℣. 7. *Sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.*

Q. 7. Qualibus privilegiis & gratiis gaudeant Chordigeri?

R. Omnium summarium præsens est:

1. Gaudent participatione omnium bonorum operum, orationum, & spiritualium Exercitiorum, quæ à

die inſcriptionis fiunt à cæteris incorporatis Chordigeris in toto mundo.

2. Participant de omnibus meritis, quæ in toto Ordine comparantur per jejunia, vigilias, macerationes, prædicationes, cæterorúmque bonorum operum exercitia; imò perfruuntur ex communione cum Ordine omnibus privilegiis, quoad indulgentias & abſolutiones.

3. Valent Con-Fratres & Con-Sorores quater in omni anno generaliter abſolvi à Confeſſario Ordinis. Quâ generali abſolutione etiam potiuntur in articulo mortis conſtituti. *Abſolutio hæc adeſt in fine Breviarii noſtri.*

Q. 8. Quale Indulgentiarum lucrum habeant Chordigeri;

R. Imprimis conceditur indulgentia plenaria omnibus & ſingulis utriúſque ſexûs Chriſti fidelibus, Sacramentali Confeſſione expiatis, & ſacrâ Communione refectis; qui poſt ſuſceptam legitimè Chordam S. Franciſci, in album Confratrum aut Sororum adſcripti fuerint.

2. Deinde ſimilis conceditur indulgentia omnibus legitimè inſcriptis in ultimo mortis articulo & die obitûs invocatô nomine Jeſu ore vel ſaltem corde.

3. Conceditur indulgentia plenaria omnibus Confratribus Confeſſis & S. Communione refectis, qui proceſſionibus ſingulîs menſibûs fieri ſolitis interfuerint: aliis verò Chriſti fidelibus qui eadem pietatis officia exercuerint, licèt de corpore Confraternitatis non fuerint, centum annorum indulgentiæ de injunctis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis conceduntur.

4. Pro-

4. Promerentur Chordigeri talem indulgentiam, quotiescúnque 7. Psalmos pœnitentiales, aut officium Defunctorum, aut coronam Christi, quæ constat 33. ***Pater noster*** & totidem ***Ave Maria***, aut deniquej Coronam B. Mariæ Virg. quæ constat 63. ***Ave Maria***, & 6. ***Pater noster***, piè ac devotè recitaverint.

5. Orantes in Ecclesiis FFrm. Minorum 5. ***Pater*** & ***Ave*** additô ***Gloria Patri.*** &c. unúmve ***Pater*** & ***Ave*** cum ***Gloria Patri.*** &c. pro Papa, obtinebunt indulgentias illas, quibus perfruuntur visitantes loca sacra in terra sancta, in Ecclesia S. Jacobi Compostellæ in Gallicia, Romæ in- & extra Urbem.

6. Quisquis Confratrum sanctissimum Sacramentum, dum ad infirmos defertur, comitatus fuerit, alios itidem centum Indulgentiarum dies obtinebit.

7. Eâdem gratiâ potietur, qui Christianè defunctos ad sepulchrum auferendos comitabitur.

8. Etiam centum dierum indulgentiarum lucrum est illi, qui alicui miserabili personæ subvenerit, aut opus aliquod misericordiæ exercuerit.

9. Eodem privilegio gaudebit, qui inter inimicos pacem composuerit.

10. Denique omnibus & singulis Chordigeris omnes indulgentiæ, à diversis Pontificibus Ordini nostro concessæ, & hactenùs non revocatæ, communicantur. Ne verò hic prolixitati locum dem, inspice! modernum Ordinis Directorium, cujus compositor cunctas ejuscemodi indulgentias à successoribus summis Pontificibus semper confirmatas suis in locis semper commemorat, ùt patebit legenti.

Q. ultimò. Quales ſint Regulæ à Chordigeris ſervandæ ?

℞. Eſſe ſequentes.

1. Aſpirantes ad hanc Archi-Confraternitatem debent confiteri & communicare.

2. Sacram Chordam ſuſcipere ab Ordinis poteſtatem habente Sacerdote , & ab eodem in album Confratrum inſcribi.

3. Chordam ritè benedictam portare circa lumbos ſuos & quotidiè orare 5, *Pater & Ave* cum *Gloria, &c.* in honorem 5. Vulnerum Jeſu & Franciſci. Unum itidem *Pater & Ave* cum *Gloria Patri, &c.* Pro Papa.

4. Proceſſionibus menſtruis diligenter intereſſe, Miſſamque mortualem , die ſequenti aut alio juxta præſidis publicationem , devoté audire pro defunctis Confratribus ac Sororibus.

5. Præcipua Ordinis feſta ſpeciali cum devotione obire, confitendo, communicando.

6. Indulgentiis , aliiſque gratiis ſpiritualibus lucrandis ſollicitè invigilare, quas etiam Domi, ſi infirmitate, vel in Eccleſiis Sæcularium, ſi itinere impediti , recitantes 5. *Pater* & *Ave* cum totidem *Gloria*, &c. mereri queunt.

7. Cùm Confraternitas S. P. Franciſci ſit omnium liberrima, ex his prædictis obligationem nullam ſequi ; ſed quotieſcunque quis præſcriptum penſum fecerit , indulgentiam conſequi , ſi omiſerit, non peccare.

§. 2. MO-

§. 2.

MODUS INDUENDI
Puerum ſeu puellam habitu pro voto ſive devotione.

℣. Adjutorium. &c. ℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Sit nomen Dom. &c. ℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.
℣. Dne exaud. &c. ℣. Dñus vobiſc.

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte, qui pro noſtra ſalute ſuſcipiens naturam humanam, te veſtimentis carnis induere dignatus es: benedictione Sanctâ tuâ bene✝dic iſta parvula veſtimenta, quæ pro gratiis tibi exſolvendis, omníque cum devotione, ſanctóquo voto ac veneratione beatiſſimæ Virginis Mariæ infans iſte (*iſta*) ſuper ſe ſuſcepturus eſt; infunde in eum (*eam*) quæſumus tuam ſanctam bene✝dictionem, ut, cùm primùm induerit hoc Religioni ſimile veſtimentum, intercedente Seraphico P. N. Franciſco deſcendat ſuper eum [*eam*] gratia tua, quæ protegat illum (*illam*) ab omni malo mentis & corporis. Qui vivis & regnas. &c. ℟. Amen.

Deinde aſpergat veſtimenta & infantem; adoleat incensô, & cùm exuit, dicat:

Eripiat Dominus de corde tuo ſæculi pompas, quibus abrenuntiâſti, dum baptiſmum ſuſciperes.

Pſalmus.

Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.
Eripe me de inimicis meis Deus meus; & ab inſurgentibus in me libera me.

Eripe

Eripe me de operantibus iniquitatem : & de viris ſanguinum ſalva me. Gloria Patri. &c.

Poſtea induat infantem Cappâ & ſcapulari, dicens:

Immittat in te Dominus Sanctum Religionis amorem, ſanctóque fervore ſuccendaris, & ardeas cœleſtium bonorum deſiderio.

Pſ. 116. Laudate Dominum omnes gentes. &c. Gloria Patri. &c.

Deinde dans candelam accenſam dicat :

℣. Dne exaudi. &c. ℣. Dñus vobiſc. &c.

Oremus.

DOmine Jeſu Chriſte, lux vera de vero lumine, quæſumus clementiam tuam, ut per interceſſionem B. P. N. Franciſci mentem parvuli hujus illumines : ut, cùm ad annos diſcretionis advenerit, ſanctô tibi animô corporéque deſerviat, qui vivis & regnas. &c.

Poſtea benedicat puerum, offerendo eum ſuper Altari dicens :

COnfirma Deus in puero (*puella*) quod in eo [*eâ*] operari cœpiſti ; à templo ſancto tuo deducat eum [*eam*] Spiritus tuus bonus in terram rectam, & ben†dictio tua ſit ſuper eum (*eam*) ſemper. Per C. D. N. ℞. Amen.

Deinde reddat eum parentibus, & converſus ad omnes circumſtantes dicat :

Benedicat vos divina Majeſtas Pater † & Filius † & Spiritus † S. Amen.

Modus

MODUS EXUENDI

Puerum, cùm portaverit habitum pro voto ſeu devotione.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. *ut ſupra. &c.*

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, à quo deſcendit omne bonum, & omne donum, tibi gratias referimus, & expleta vota reddimus; ſuſcipe vota noſtra cum gratiarum actionibus, & intercedente B. V. Mariâ, ſanctóque P. N. Franciſco huic infanti (*puellæ*) de cætero præſta ſalutem mentis & corporis, ut te creatorem rectâ fide colat, in te Redemptore ſpem ſuam confirmet, atque ſummum bonum ſuper omnia diligat, atque ſanctis mandatis tuis ſemper obediat. Per C. D. N. Amen.

Deinde exuendo illum habitu, dicat:

Reddite vota veſtra Deo cum gratiarum actionibus. *Pſalm.* Laudate Dominum omnes gentes. &c.

Deinde deponens Habitum ſuper Altare, dicit:

℣. Domine exaudi. &c. ℣. Dom. vobiſc.

Oremus.

SUſcipe, ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, preces ſupplicum, & per interceſſionem B. V. Mariæ, nec non Seraphici P. N. Franciſci præſta nobis ita beneficia cognoſcere, ut in gratiarum actione ſemper maneamus. Per D. N. J. C. Filium tuum, qui tecum. &c. Amen.

Poſtea

Postea vertat se ad circumstantes, dicat:

Benedicat vos Divina Majestas Pater † & Filius † & Spiritus † S. Amen.

---

§. 3.

De Fratribus & Sororibus Tertiariis.

NB S. P. N. FRANCISCUS non contentus constituisse *Ordinem Fratrum Minorum & Monialium Clarissarum*, à mundo & mundanis penitus exclusorum, adhuc alium *Ordinem Tertium* instituit, quem appellavit pœnitentium, hunc tertium Ordinem instituit S. Pater pro illis, qui ad statum Religiosum non sunt vocati, sed in mundo, vel in Matrimonio juncti, vel Cœlibes vivunt, Sacerdotiô initiati, extra Religionem suam salutem operari desiderant. *Hic Ordo* (sic enim rectè vocatur, quia est certus vivendi modus juxta Regulam à Sede Apostolicâ approbatam] fuit approbatus *ab Honorio III. Gregorio IX. & Nicolao IV.* in Bulla: *supra Montem.* Et quamvis *S. P. N. Franciscus* Ordinem istum tantùm instituerit pro Sæcularibus, successu tamen temporis aliquæ hujus *Tertii Ordinis* personæ ardentiori spiritûs S. flammâ succensæ cœperunt collegialiter cohabitare in privatis domibus, & denique etiam publicè in Monasteriis tria substantialia vota solemniter profiteri; quibus etiam per Pontifices præscripta est peculiaris Regula.

Hìc verò agam de *Tertiariis*, in quos soli Ordini nostro Franciscano, & nulli alii authoritatem ac Jurisdictionem deberi ac competere, post tot Pontifices Prædecessores, postremùm adhuc sancivit *Benedictus XIII.* non tantùm in Constitutione: *Singularis Devotio editâ* 1726. verùm etiam in illa Bulla: *Paterna Sedis Apostolicæ providentia* à se emanatâ 1725. *pro Tertiariis Ordinis de Observantia*, prout patet eam perlustranti. Unde hìc de *Tertiariis* nobis solùm subjectis mihi sermo est De his

Q. 1. Quisnam valeat ad Ordinis nostri Habitum admittere ejusmodi Tertiarios, aut Tertiarias?

R. Ad Tertium Ordinem quoscunque recipere

solis competit superioribus videlicet : Mñro Generali & Provinciali , à quibus etiam dependet similem potestatem concedere Guardianis , aut alteri Patri , qui pro ejusmodi receptione denuntiatus fuerit.

Q. 2. Quinam & quales assumendi sint ad habitum Tertiariorum ?

R. Non alios , nisì qui sunt boni nominis, vitæ emendatioris, Catholici , in fidei rudimentis sufficienter instructi, de nulla hæresi notati, nec ære alieno oppressi , non etiam quærentes hoc institutum sub spe majoris Eleemosynæ , sed solummodò ex Zelo Deo eò ferventiùs famulandi, vitámque suam in finem usque reddendi eò beatiorem.

Q. 3. Quænam ex mulierculis videtur digna Tertiariarum habitu ?

R. Nulla ex hoc sexu recipiatur , nisì priùs de probata vita , & bonis moribus digna testimonia extent. *Ita const. Urb. in c. 11 reg t 3. n. 2.* Uxorum etiam nulla admittenda est absque consensu mariti. *Ita cap. 2 Reg. Nicolai IV.* num verò Virgines & viduæ ex post valeant transire ad nuptias ? optimum erit, desuper consulere prudentem conscientiarum moderatorem. Verùm , si quæ dispensatio tali in casu necessaria afforet , ea subsistente causâ impetratu difficilis non erit, eòquod Devotessæ nostræ , seu *ut vocant* Quisellæ solùm emittant votum simplex castitatis , & non solemne, quale ex institutione Ecclesiæ est illarum Sororum , quæ claustraliter vivunt.

Q. 4. An etiam Ordinis nostri habitus , aut Sororum Tertiæ Regulæ concedendus sit moribundis , aventibus in eodem mori & sepeliri. ?

R. Vel Maximè : ídque propter indulgentiam plenariam ſimilibus *à Leone X.* conceſſam. Indulgentia hæc etiam extenſa eſt ad mulieres in habitu S. *Claræ* morientes & ſepeliendas. Unicuique inſuper Guardiano , ac ſuperiori locali apud nos tradita eſt facultas hujuſcemodi morientibus concedendi habitum Religionis noſtræ. *Ita conſt. Urb. in c. 3. reg. t. 9. n. 2.*

MODUS INDUENDI TERTIARIOS *ſive* Oblatos. Valet etiam pro Sororibus non ita ſolemniter induendis mutato genere maſculino.

NB. Sacerdos, licentiam habens à Provinciali, ſuperpelliceô & Stolâ veſtitus benedicat prius habitum & Cingulum , dicens :

℣. Sit nomen Dom. &c. ℟. Ex hoc nunc. &c.
℣. Dn̄e exaudi. &c. ℣. Dom. vobiſc.

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, qui tegumen &c. *pag. 58.*

Oremus.

DEus, qui, ut ſervum redimeres , Filium tuum per manus impiorum ligari voluiſti ; bene✝dic, quæſumus , ut famulus tuus, qui eô velut ligamine pœnitentiali ſui corporis cingetur, & in Ordine, quem aſſumit, perenniter perſeveret, tuíſque cum effectu obſequiis ſe alligatum eſſe cognoſcat. Per C. D. N. Amen.

Induendo Tertiarium dicat :

Induat te Dominus novum hominem , qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, ſanctitate, & veritate. ℟. Amen.

Præ-

Præcingendo dicat :

Præcingat te Dominus Cingulo puritatis, & extinguat in lumbis tuis humorem libidinis, ut maneat in te virtus continentiæ & caſtitatis. ℟. Amen.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.
℣. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
℣. Signâſti Domine ſervum tuum Franciſcum.
℟. Signis redemptionis noſtræ.
℣. Salvum fac ſervum tuum.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Dom. exaudi. &c. ℣. Dom. vobiſc. &c.

Oremus.

Deus qui corda fidelium. &c. *ut in principio.*
Concede nos famulos tuos. &c. *ſupra pag. 157.*

DEus, qui Eccleſiam tuam B. P. N. Franciſci meritis fœtu novæ prolis amplificas: tribue nobis ex ejus imitatione terrena deſpicere; & cœleſtium donorum ſemper participatione gaudere. Per C. D. N. ℟. Amen.

Deinde amplectendo benignè Tertiarium dicat :
Pax tecum Frater.

FORMULA PROFESSIONIS

Non obligatoriæ ſub culpa mortali juxta declarationem NICOLAI IV.

JCh Bruder N. [Schweſter N.] gelobe Gott dem allmächtigen, Mariä ſeiner Hochwürdigen Mutter, unſerem Heiligen Vatter Franciſco / allen Heiligen Gottes, und euch Ehrwürdigen Pater, die

die Täg meines Lebens zu Unterhalten die Gebott Gottes, und gnug zu thuen für die Ubertrettungen welche ich etwan mögte begehen wider diese Form und Weiß deß Dritten Ordens, welche der Heilige Franciscus eingesetzet, und Pabst Nicolaus der vierdte bestättiget hat: Wan ich darzu nach dem Willen des Obersten erforderet werde.

Darauff spricht der Pater.

Wan ihr dieses Unterhaltet, verheisse ich euch das ewige Leben, im Nahmen deß Vatters und deß Sohns und deß Heiligen Geistes Amen.

Latinè.

EGo Frater N. voveo & promitto Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper virgini, Beato Patri noſtro Franciſco, omnibus Sanctis & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ ſervare mandata Dei, & ſatisfacere pro transgreſſionibus illis, ſi quæ per me fierent contra hanc formam & Regulam Tertii Ordinis, à S. P. Franciſco inſtitutam, & per Dominum Papam Nicolaum quartum confirmatam, ſi ad id juxta ſuperioris voluntatem expoſtulatus fuero.

Huic formulæ commodè inſeri poteſt votum caſtitatis vel in perpetuum, vel ad tempus, prout voventi à Deo inſpiratum fuerit.

NB. Si qui verò fratres Tertiarii, non legitimè Ordinis habitum geſtantes, reperti fuerint in eo quæſtuantes, aut cum alio ſimili habitu circumvagarentur; ubicunque locorum inveniuntur, cogendi ſunt, ut habitum deponant, ſcientes ſe excommunicatos eſſe juxta illud *Breve* Gregorii IX. *Regularem vitam*, &c. Imò carceri mancipandos declara-

vit in suo *Brevi* : URBANUS VIII. *cùm sicut dilectus.* &c. Unde sedulò invigilent superiores, ut ejusmodi semi-fratrum genus ab Ordinariis locorum Seraphico habitu exuatur, sicque deinceps Religioni maculas non inferat. *Ita const. n. in c.* 11. *reg. t,* 3. *n.* 1.

Q. 5. Quibus privilegiis gaudeat universus Tertiariorum cœtus?

℟. Fratres & Sorores tertii Ordinis S. Francisci, post emissa tria vota substantialia, collegialiter viventes, certum est gaudere omnibus indulgentiis, quibus gaudent cæteri Regulares in communi, cùm veri Religiosi sint, & Religiosæ. Et quæ Sorores vitam præterea traducunt à jurisdictione Ordinis non alienam, gaudent nobiscum iisdem gratiis & indulgentiis, quibus & nunc nobiscum potiuntur Clarissæ nostræ.

Quantùm ad Tertiarios Ordinis nostri sæculares, in propriis domibus habitantes; ipsis quoque largiti sunt summi Pontifices varia privilegia, indulgentias, ac gratias tàm spirituales quàm temporales. Quas concessiones adhuc ultimùm innovavit, approbavit & confirmavit in sua constit. *Singularis Devotio.* &c. BENEDICTUS XIII. sub his verbis: *Volumus .... ut Tertiarii Directioni Ministri Generalis Fratrum Minorum Conventualium subjecti omninò gaudeant omnibus Exemptionibus, immunitatibus, prærogativis, indulgentiis, privilegiis, gratiis, & favoribus spiritualibus & temporalibus, quas Antecessores nostri Romani Pontifices iisdem largiti sunt.* &c. privilegia verò eis concessa sequentis sunt tenoris: (in Const. N. Urb. supra Cit. n. 10.) *Quòd mulieres virginalem, seu vidualem vitam ducentes cum expresso voto inter visitatoris manus emisso, privilegiis,* exem-

exemptionibus & immunitatibus fruantur, quibus frui possunt tertii Ordinis Fratres in Congregatione degentes, ac ab Ordinariorum jurisdictione eximantur: iisdémque privilegiis ii Tertiarii, qui in claustris habitant, perfruantur. Reliqui verò Fratres, & omnes intra domesticos parietes degentes iis privilegiis, quæ ab Apostolica Sede, sacr. Congr. & Can. huic Ordini concessa sunt, liberè licitèque perfruantur & gaudeant.

Q. 6. Num superiores nostri (sicuti validè possunt aliquem ab Ordinario non approbatum approbare pro nostris) etiam talem valeant approbare pro Tertiariis nobis subjectis?

℞. Negativè. *Nemo* (ajunt Const. cit. n. 6.) *Tertiariorum hujusmodi Confessiones audire præsumat, nisi priùs à locorum Ordinariis ad sæcularium Confessiones admissus fuerit.*

Q. 7. An Tertiarii S. P. N. Francisci degentes in sæculo, possint uti Breviario Ordinis Minorum, & illius Kalendario conformari?

℞. Affirmativè. Ita decrevit S. R. Congregatio 7. Augusti 1694. etiam de jure communi est, Ordinis membra effecta hujusmodi privilegio congaudere.

---

§. 4.

DE NOVENA S. ANTONII DE PADUA ejúsque Confraternitate.

NB. Quot, & quanta à quatuor jam, & ultra sæculis, hodiedum usque Misericors Deus per S. Antonium beneficia concesserit afflictis, idipsum chartæ dedêre scriptores quàm plurimi: *Ordinis nostri Conventualium P. Josephus Basqueti*

Minister

Minister Provinciæ S. Antonii, *P. Antonius* Wissing Provinciæ nostræ Doctor Trevirensis, *P. Josephus Bandola* SS. Theologiæ Doctor & Rector in Universitate Patavina. *Societatis Jesu P. Franciscus Baertius*, *P. Conradus Janningus* aliíque complures. Qui unô quasi calamo scriptitârunt, quod suâ tempestate *Ordinis nostri* Venerabilis servus Dei *Josephus de Cupertino* dicere solebat uti in ejus vita legitur cap. 23. *S. Antonium in cœlo constitutum esse à Deo Procuratorem Generalem ad hominum necessitatibus succurrendum*: utpotè tanta erat Miraculorum frequentia, ut evidens sit, quod nunc in *S Bonaventura* Antoniano Responsorio oratur & canitur: *petunt & accipiunt.*

Q. I. Quisnam est ortus & progressus NOVENÆ, per quam unà nobis denotantur, cùm 9. Chori Angelorum, tùm 9. menses, quibus Christus delituit in utero Matris suæ Mariæ?

℟. Huic novendiali Devotioni *Fratrum Minorum Conventualium Bononiæ* in Ecclesia primùm initium posuit historia illa Miraculosa de quadam Matrona Nobili, quæ anno salutis 1617. hac devotione, ipso *SANCTO* eam monente, primùm utens gratiam ibidem obtinuit singularem. *Hæc viginti jam duos annos infœcunda, dum* DIVO *lacrymis, precibúsque frequentibus pro obtinenda prole supplicat, in somnis eundem multo lumine coruscum videt, & sibi dicentem audit*: Imaginem meam in Fratrum Minorum Ecclesia novem diebus Martis invisens, gratiam, quam petis, impetrabis. *Paret mulier, & concipit ex marito. Sed ille tot annis sterilem, nunc gravidam uxorem de adulterii crimine suspectam miserè habet. Intereà accedente partûs tempore, parit mulier Monstrum potiùs quàm hominem. Sed ô rem omnibus retrò sæculis inauditam! dum monstrum hoc fasciis involutum, & ad altare* S. Antonii *delatum, pia mater eidem devotissimis precibus commendat, primò*

 infan-

infantis cujusdam vox auditur ex fasciis cum monstro depositis, & hisce mox explicatis formosa proles reperta est. Cujus rei fama, dum Italiam pervagatur, devotioni huic, quâ per novem martis dies S. Antonius colitur, initium dedit. Cujus exemplô usque in hodiernum hæc Novenæ devotio ubique in Ecclesiis Franciscanorum Conventualium Florentissima viget. Testes in hac alma Provincia Coloniensi de Ss. Tribus Regibus præcipuè sunt Ecclesiæ, Coloniensis, Monasteriensis, Bonnensis & Trevirensis, ut in confesso est apud omnes.

In Coloniensi quidem eo populi tùm incolæ tùm accolæ concursu cum Augustissimi Sacramenti expositione agitur fata devotio, ut ordinariâ qualibet tertiâ feriâ ad sexcentenarium non semel exerescens communicantium numerus [qui, eâdem si feriâ Festum aliquod fori incidat, triplicatur sæpissimè] sanctitati Clementi XII. per testes fide probatos edocto, ex cœlestibus Ecclesiæ thesauris omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, sacrâ item communione refectis, qui expositioni Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia sub invocatione exaltationis Sanctæ Crucis Civitatis Coloniensis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium devotè interfuerint, & ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam in singulis primis feriis tertiis cujuslibet mensis omnium peccatorum suorum Indulgentiam & Remissionem misericorditer in Domino concedendi, in reliquis verò feriis tertiis totius anni præmissa in dicta Ecclesia peragentibus septem annos & totidem quadragenas de injunctis eis seu aliàs quomodo-

modolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consuetarelaxandi, & has omnes indulgentias & peccatorum remissiones ac pœnitentiarum relaxationes animabus Christi fidelibus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, benignè indulgendi, ansam præbuerit. In Monasteriensi Westphaliæ *Divæ Virgini & Martyri* Catharinæ *Sacra* Fratrum Minorum Conventualium *Ecclesia ea fuit & usque nunc indies augetur dicta Novendialis devotionis frequentatio, ut eâ permotus* Reverendissimus ac Illustrissimus Fabius Chisius Episcopus Neritonensis *tunc Nuntius Apostolicus, post sub nomine* Alexandri VII. *summus Pontifex singulari cum ædificatione eidem semper assistens in album Confratrum* Antonianorum *adscribi, gloriam sibi duxerit. Quô simili gratiosus simul & gloriosus* princeps Christophorus Bernardus Episcopus Monasteriensis *aliaque solemnes personæ Urbi Monasteriensi ejusdémque confiniis in tantum præluxêre, ut adauctus quasi divinitùs cultorum* D. Antonii Paduani *cœtus ad satisfaciendum commodiùs finitimorum in eundem* Sanctum *devotioni extra muros sacellum cultui ejusdem sacrandi occasionem fato conventui fecerit; id impræsentiarum sacellum singulis totius anni tertiis feriis, per totam præprimis* divi nostri *octavam frequentissimo hominum concursu devotè invisitur.*

In Bonnensi *item eorundem* Fratrum Minorum *Sacra Domo admodùm florens ista eadem* Antoniana *per novem dies martis invocatio cultorem Sancti inter cæteros sedulum* Serenissimum Principem Archi-Episcopum Coloniensem Maximilianum Henricum *excitavit ad Donarium Magnificum Ecclesiæ eidem nostræ Munificentissimè relictum argenteâ scilicet ejusdem*

Seraphici Liligeri *statuâ unà cum inclusis spectabilioribus* Venerandi digiti reliquiis *ex Basilica nostra* Patavina *ad Residentialis Urbis Bonnensis Ecclesiam nostram translatis, & usque modò gratiarum frequentiâ inibi asservatis.*

Exemplum hujus serenissimi prædecessoris *sui secutus serenissimus* Josephus Clemens *redux in Residentiam suam Bonnensem in gratiarum actionem Novenam* D. Antonii *per novem dies ad aram* Divo *sacram faciendo, ac ultimò paramenta unà cum Calice cæterisque vasis in Altari relinquendo.*

In Trevirensi *demum, alia ut taceam prolixitatis evitandæ gratiâ, appensa* ad Divi *aram anathemata, beneficiorúmque clementissimè concessorum signa, & affixa ex devotione tabulæ plùs quàm clarè Novendialis devotionis frequentiam, ejúsque fructus ante oculos ponere videntur.*

Q. 2. Quisnam est modus colendi S. Antonium de Padua per novem dies Martis?

℟. Vis & tu à sancto viro auxilium in tribulatione, aut beneficium aliquod cùm corporale tùm spirituale, pro te vel pro alio? hæc paucula observanda sunt tibi, & unicuique, qui Novenam celebrare desiderat.

1. Ut in Ecclesia FF. Minorum visitet Altare S. Antonii, eúmque in sua piè colat imagine.

2. Ut hoc devotè, confidentérque inchoët, continuétque novem diebus Martis.

3. Ut eum in initio sibi in specialem eligat Patronum, se ipsum ei offerens in clientem, omniáque sua ei fideliter committens.

4 Quoniam Sanctus in memorato exemplo expressè non præscripsit immediatam continuationem (fortè tamen pro illa muliere supposuisse videbitur alicui) hinc qui justo impedimento retraheretur, ut in continuatione ne quidem Sancti Al-

tare

tare visitare possit, is faciet satis, si post interruptionem tot dierum vices resumat, quot restabant.

5. Si quis nollet aliquo die Martis, durante Novena, communicare; ad minus assistat S. Missæ Sacrificio, illúdque cum Sacerdote DEO pro se offerat, aut sacrum pro sua intentione legi curet.

6. Concurrentibus majoribus Festivitatibus cum die Martis, poterit in ipsis communicare, & consultô Confessariô sacram Communionem die Martis pro tunc omittere, dummodo reliqua peregerit; Confessio tamen semper suadenda: nam quamvis nec illa nec S. Communio à Sancto sit præscripta; adhibetur tamen consultò, ut ponat hominem in statu gratiæ, aut majoris cum Deo amicitiæ, ad eò faciliùs impetrandum petita: nam *Peccatores Deus non audit.* Joan. 9.

7. Quoniam S. Antonius communis est fidelium Patronus, non tamen ubilibet FF. Minorum reperiuntur Ecclesiæ: poterit quis in tali casu etiam in alia Ecclesia, vel oratorio, in quo S. Antonii Imago honoratur, imò dummodo eam secum in libello deferat, aut domi affixam honoret, novendialem devotionem persolvere cum non minore spe fructûs & efficaciæ; nam sal & sapor devotionis est fiducia orantis, quæ ad locum, diem, numerum, aut certum modum non coarctatur.

8. Ex tepore & negligentia fractim interrupta devotio si non totali, saltem uberiore carebit fructu. Hinc utiliter agit qui indies Sanctum honorat, aut in honorem ejus missam audit, eleemosynam erogat, templum ejus aut Altare vel imaginem interdum visitat sive ante sive post meridiem.

Q. 3. Quis Pontifex Max. concessit erigere & instituere Confraternitatem S. Antonii de Padua?

℟. Innocentius X. facultatem hanc benignè elargitus est Fratribus Minoribus Conventualibus ubilibet locorum hujusmodi Confraternitatem in suis Ecclesiis erigendi, atque in perpetuum instituendi per Bullam approbatam sub dato Romæ die 25. Septembris Anno 1648. tùm ad devotionem, in plebe suscitatam, eò majorem, eò ferventiorem, ardentiorémque reddendam ac ampliandam erga tantum

Sanctum & Mirabilem virum; tùm in Dei honorem ejúsque summam gloriam; tum denique ut mirabilia illa, quæ dignatur Deus operari per servum suum S. Antonium, ubique terrarum patescerent.

MODUS ADMITTENDI
Aliquem ad Confraternitatem S. Antonii de Padua,

NB. Insinuantem se pro hac Confraternitate interrogabit P. Præses, an eâdem die confessus ac sacra communione refectus sit, quòd si ita compererit, indutus Stolâ *coram altari S. Antonii vel aliò genuflexum suscipiat, sequentibus precibus:*

℣. Adjutorium. &c. ℟. Qui fecit. &c.
℣. Sit nomen Domini. &c. ℟. Ex hoc nunc. &c.
℣. Exaudiat te Dominus in die tribulationis.
℟. Protegat te nomen Dei Jacob.
℣. Mittat tibi auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tueatur te.
℣. Tribuat tibi secundùm cor tuum.
℟. Et omne Consilium tuum confirmet.
℣. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.
℟. Et exaudiat te de cœlo sancto suo.
℣. Ora pro nobis B. Antoni. ℟. Ut digni, &c.
℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobisc.

Oremus.

Mitissime ac clementissime Jesu. &c. pag. 106.

Alia Oratio.

ECclesiam tuam Deus B. Antonii Confessoris tui deprecatio votiva lætificet: ut spiritualibus semper muniatur auxiliis & gaudiis perfrui mereatur æternis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Oratio ab assumendo dicenda.

O S. Antoni de Padua ego N. te hodie in Patronum & Advocatum singularem eligo, firmitérque statuo ac propono, me nunquam te derelicturum, neque permissurum, ut à me vel meis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Te igitur obsecro, suscipe me in clientem tuum perpetuum, adsis mihi in omnibus necessitatibus meis, nec me deseras in hora mortis meæ. Amen.

Gebett wan einer zu der Bruderschafft wird auffgenommen.

O Heiliger Antoni von Padua, der du bist ein treuer Nothhelffer und Fürsprecher der Nothleydenden Menschen, ich N. erwehle dich heut zu meinem sonderbahren Patronen, und Fürbitter bey Gott dem allmächtigen, ich bitte dich, du wollest mich zu ein Pfleg-Kind an- und auffnehmen, und mir in allem Creutz und Verfolgungen, und sonderlich in der Stund des Todts beystehen. Amen.

Deinde dicat præses.

GAudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem S. Spiritûs, perseverantiam in bonis operibus, indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Deus Pater & Filius & Spiritus † S. Amen.

Formula acceptandi.

EGo authoritate Apostolicâ sacro Ordini nostro concessâ te ad Confraternitatem S. P. Antonii de Padua assumo, omniúmque meritorum ac indulgen-

gentiarum *ab Innocentio decimo* Concessarum participem facio in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † S. Amen.

Regulæ.

1. Assumpti nomen deferatur in librum Confraternitatis.

2. Inscriptus indies oret 3. *Pater & Ave*; aut *Resp.* si quæris miracula, &c. *pag.* 106.

Indulgentiæ.

1. Incorporati die ingressûs lucrantur indulgentiam, uti & in articulo mortis, si in charitate decedentes nomen *Jesu ore* vel *Corde* invocaverint.

2. In festo Translationis S. Antonii 15. *Febr.* in ejus festo 13. *Junii*. Et in Dominica infra octavam. *Item* quâlibet Dominicâ post 4. Tempora, dum Aram S. Antonii visitant, indulgentias 7. annorum & totidem quadragenas: & dum Processioni intersunt, pauperem suscipiunt, eúmque in necessitate adjuvant, Sacramentum ad infirmos comitantur, vel impediti pro defunctis Fratribus & Sororibus orant 5. *Pater & Ave*. Errantes in viam salutis reducunt, vel aliud pium opus in proximi salutem exercent, qualibet vice & pro quovis opere indulgentias promerentur 60. dierum.

NB. P. La Croix de decretis S. Congregationis refert seq: *tam Minores Conventuales quàm Observantes Reformati S. Francisci possunt in propriis Ecclesiis suorum Ordinum solemnizare Festum* S. Antonii *Patavini eâ ipsâ die, in quam inciderit, dummodo Reformati à processionibus abstineant eodem die.* 20. *Sept.* 1658. Item. *Nullo modo sunt permittenda duæ Pro-*

Processiones de eodem festo in eodem loco eodem die 9. Sept. 1658. Idem ibidem.

§. 5.

DE LITERIS FILIANTIÆ.

NB. Affiliatio est quædam communicatio bonorum operum & suffragiorum, facta tamen illis, qui Ordini benè affecti cognoscuntur, juxta const. n. Urb. in C. 2. reg. t. 23. n 2. ii in filios Religionis cooptari queant, qui benefactores sunt. *Praxis hac valida est & licita juxta summorum Pontificum indulta; & sicut hac viget in aliis Ordinibus, sic & eadem in Ordine nostro utuntur* P. Minister Generalis & Provincialis; *quisque pro suo districtu.* Unde jam

Q. 1. Qualem fructum percipiant illi, qui alicui Ordini affiliantur à Prælato & in talem recipiuntur Communionem bonorum operum vg. *officiorum, orationum, jejuniorum, Macerationum, Vigiliarum, & quidquid Religiosi ex votorum Regulaque Observantia promerentur, uti sonant schedula filiantia?*

℞. Communionem hanc quidem fieri per Ordinis Prælatum, sed non aliter, quàm de licentia Summi Pontificis, cùm is solus habeat clavem Thesauri Ecclesiæ. Quâ Pontificis facultate non præhabitâ, talis Prælatus Religiosorum suorum satisfactiones, etiam superfluas, nequit applicare extraneis, cùm cujusque hominis, etiam Religiosi Professi opera bona & fructus eorum subjaceant particulari Dominio ipsius operantis: hinc si quis Religiosorum faciat opera satisfactoria, ipsi soli prosunt, si verò pœnas restantes non habeat, reponuntur in Thesaurum Ecclesiæ, sicuti

ſicuti opera ſatisfactoria ſuperflua aliorum Chriſti-Fidelium, adeóque ſatisfactiones Religioſorum particularium non applicantur affiliatis, niſì iſti religioſi eas actualiter, aut generatim aut ſpeciatim applicent. Fructus verò, quem affiliatio præterea confert, præcipuè in hoc conſiſtit.

1. Ubi pro affiliatis, ſicuti apud nos in Conventibus, fiunt ſpecialia officia, orationes & ſacrificia, hæc proſunt affiliatis, ita tamen, ut, quò major eſt affiliatorum numerus, eò minor portio obveniat ſingulis. Unde laudabilis Mos eſt, ſi in Ordinibus certus affiliatorum numerus ſtatuatur.

2. Caſu, quô pro affiliatis ſpecialia ſuffragia non fierent, iis tamen Deus, non quidem de condigno ſed de congruo, dat intuitu piorum Religioſorum, quibus affiliati ſunt, ſubinde ſpecialia auxilia, quibus, ſi in peccatis ſint, perveniant ad pœnitentiam, aut ſi in peccatis non ſint, in bono perſeverent, aut ab aliquibus malis tam corporis quàm animæ præſerventur. Sic propter decem juſtos, ſi ibidem inventi fuiſſent, pepercíſſet Dominus *Sodomæ & Gomorrhæ* ac finitimis civitatibus. *Gen.* 18. idem explicatur *hac ſimilitudine*: qui amat amicum ſuum, non ſolùm amat ipſum, ſed etiam qui ſunt amici & benefactores illius amici; ergò etiam cùm Religioſi (*ut ſupponitur*) ſint dilecti Dei amici, Deus non ſolûm hos amat, ſed etiam illos, qui ſunt Religioſorum amici & benefactores, ac proinde Deus ter optimus Maximus hujuſmodi confœderatis (qui vi affiliationis Ordini veluti membra couniuntur) aliquando confert, & dat beneficia ſpecialéſque gratias intuitu piorum Religioſorum iſtius Ordinis, cui coadunati ſunt.

3. Affili-

3. Affiliati non ſint hujus perſuaſionis, ſe nimirùm poſt mortem à quolibet Ordinis Sacerdote habituros miſſam mortualem, niſi idipſum in obtentis filiantiæ literis expreſſum fuerit; in noſtris ſaltem ſimilis obligatio non exprimitur. Optimè tamen Ordinis noſtri filiis perſuaderi poteſt, ſe poſt mortem gaudere fructu Miſſarum Menſilium, quæ in ſingulis Conventibus feriâ ſecundâ poſt Confraternitatem, præcedente Dominicâ habitam, celebrantur, aliarúmque adhuc complurium in provincia frequentiùs applicari ſolitarum, præter alias Orationes, quæ quotidiè fiunt pro vivis ac defunctis Benefactoribus.

Privilegium quoddam Ord. Mend.

Quale, eſto proprius locus non ſit, licuit tamen ipſum hìc pro notitia apponere. En tibi illud!

Refert Henno *Tract. in decal. diſt. 6. q. 3. in fine.* à JULIO II. conceſſum eſſe, *videlicèt* Confeſſarios Ordinis Mendicantium à ſuis Provincialibus deputatos poſſe cum inceſtuoſis diſpenſare in Confeſſionali, & non eſſe revocatum. Debent tamen, ùt expreſsè requirit Privilegium, **1mò**: Eſſe à ſuo Provinciali ſpecialiter ad hoc deputati. *2dò*: debent diſpenſare in tribunali ſacramentali, non extra; & quidem in domibus & Eccleſiis Ordinis. *Idem aſſerit Janſen Caſ. 71. num. 5.*

Animam Meam pono pro ouibus meis
V. Berg. I Everaerts fec. Col

Væ paſtoribus, qui diſperdunt, & dilacerant gregem paſcuæ meæ. *Jerem.* 23. Miniſterium tuum imple. 1, *Tim.* 4. Quod perierat, requiram, & quod abjectum erat, reducam & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, conſolidabo. *Ezech.* 34. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, *Apoc.* 2.

PARS QUARTA

DE INFIRMIS, MORIBUNDIS, Hæreticis Convertendis, Magis & Sagis, Incarceratis, Reísque ad ſupplicium Educendis.

---

§. 1.

DE MODO INVISENDI ÆGROS.

NB. *Penultimum inter 7. Opera miſericordiæ ſpiritualis eſt* : Ægrotos inviſere. *Cujus etiam nos commoneſieri voluit ipſe Spiritus S.* Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula, non te pigeat viſitare infirmum : ex his enim in dilectione firmaberis. *Eccli. 7. v. 39. Salubris verò fit infirmi viſitatio, ubi ei providetur de Pharmaco ſpirituali; pharmacum hìc breve imò & ſaluberrimum erit, pauciſſimis ſuggerendo quod dogma eſt S. Patris* :

Dirige Cor ſurſum, Meditare noviſſima, Crimen Contere, ferto Crucem, patiens operare ſalutem.

Meditatio valdè Salutaris.

Ab infirmis nec interdiu, nec noctu è mente ſeponenda.

Sæpe præterita.

Malum	}	Com-	{	
Bonum	}	O-	{	miſſum.
Tempus	}	A-	{	

 Utinam

Utinam { Scires præterita cum dol- / Intelligeres præsentia cum pud- / Provideres futura cum tim- } ore.

Malum Commissum.

Contra

Deum, Proximum, Teipsum.

Bonum Omissum

Ob

Vitia non extirpata;
Virtutes non insertas,
Operam perfectioni non datam.

Tempus Amissum

Quô nil pretiosius, nil labilius, nil desiderabilius

Ob

Beneficiorum Multiplicitatem
In anima, Corpore, rebus.

Præsentia intellige!

vitæ brevitatem;

Qua est

Vitro fragilior, fumo levior, vento velocior.

Diem mortis;

Qua est

Certissima, incertissima, amarissima.

Faciem judicis furentem;

Quia est

Infallibilis / Inflexibilis / Infugibilis { propter } Sapientiam. / Justitiam. / Potentiam.

Futura prævide!

Nam

Si non es pro te modò sollicitus, quis erit in futuro?

Hæc

Hæc ergò :

Ruminare seriò ; fac non in ferio ;
Cave in Bivio , sic vives in Gaudio.

Nimirùm

Ignem inferni , & Satan sævientem

Quô

Nil crudelius ; nil horribilius ; nil infallibilius.
Æternam gloriam indeficientem

In qua est

Amotio		Malorum.
Assecutio	omnium	Sanctorum.
Adimpletio		Desideriorum.

Attende , quia Morieris.

Fluit hora , sine mora.

Ergò

Fac benè , & absque mora , celeri pede diffugit hora
Post miserum funus , pulvis & umbra sumus.

Hæc 5. Memorare !

Mors tua , Mors Christi , fraus Mundi , gloria Cœli ,
Et dolor inferni , sunt meditanda tibi.

Item.

Tria sunt verè , quæ me faciunt flere :

Primum.

Quidem durum , quia scio me moriturum ;

Secundum.

Ideo plango , quia morior , & nescio quando ;

Tertium.

Autem flebo , quia nescio , ubi manebo.

Quidquid facies , respice mortem.

S. P. N. Franciscus in ultimis constitutus , jacens in

terra sic ajebat ad Fratres suos præsentes : ego, quod meum est, feci: quod vestrum est, Christus edoceat. *S. Bonav. in ejus vita Cap.* 14. *n.* 3.

SENTENTIÆ QUÆDAM CONSOLATORIÆ *ægro scitè proponendæ.*

FIli in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te. *Eccli.* 38.

Ante languorem adhibe medicinam; & ante judicium interroga teipsum, & in conspectu Dei invenies propitiationem. *Idem Cap.* 18.

Majoris meriti est adversa patienter tolerare, quàm bonis operibus insudare. *S. Bonaventura.*

Cygnus, quando moritur, cantando moritur. Cygnus albus est peccator ad pœnitentiam conversus, super nivem dealbatus: hic in articulo mortis suæ debet cantare, id est, peccata sua in amaritudine animæ suæ recogitare: omnis enim laus in fine canitur. *S. Antonius de Padua Serm. Dom.* 3. *Quadrag.*

Homo patiens de felle favum mellis elicit, malum in bonum convertit. *S. Umbertus de utilitate pœnit. c.* 42.

Ægritudo carnem vulnerat, mentem curat. *S. Isidorus & S. Ambr. Serm.* 74. Infirmitas corporis, sobrietas mentis est, & virtutum officina. Optimi sumus, dum infirmi: quem enim libido sollicitat? infirmus non amoribus servit, non appetit honores, fatetur Deum esse, séque hominem meminit. *Plinius l.* 7 *Epist. ad Maxim.*

Latet ultima dies, ut observentur omnes dies; serò parantur remedia, cùm mortis imminent pericula. *S. Augustinus.*

Iram Domini portabo, quia peccavi ei. *Michææ* 7. *vel cum Job* 3 peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi. *vel cum Augustino cogitet æger*: gravius est, quod commisi, levius est, quod tolero.

PRECES SACERDOTIS
Pro recuperanda ægri Sanitate.

℣. Adjut. ℣. Dne exaudi. ℣. Dom. vob.

Ore:

Oremus.

VIrtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem: & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis; adesto propitius famulo tuo (*famula*): ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum, instauratâ protinus sanitate benedicat. Per eundem D. N. J. C. F. tuum, qui tecum. &c.

Super ægros manus imponent & benè habebunt. Jesus Mariæ Filius, mundi salus, & Dominus, meritis & intercessione Ssmæ Matris suæ, Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum sit tibi clemens & propitius. Amen.

Infirmorum propitiator, abjectorum Protector, desperandorum Salvator, Deus Patris mei, & Deus hæreditatis Israël, Dominator cœlorum & terræ, Creator aquarum, Rex totius creaturæ, exaudi preces nostras, & ad aures misericordiæ tuæ supplicantium vota perveniant.

℣. Sana me Domine & sanabor

℟. Salvum me fac & salvus ero.

Seq. S. Evangelii secundùm Marc. *pag.* 151.

Kyrie eleyson. Christe. &c. Kyrie. &c. **Pater noster.**

℣. Salvum fac servum tuum Domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.

℟. à facie inimici.

℣. Domine exaudi. ℣. Dom. vob.

Oremus.

DEus, qui omnem infirmitatem, & omnem languorem ab humanis corporibus tuâ pietate depellis: adesto propitius servo tuo N. & ad pristinam sanitatem citò eum revocare digneris. P. C. D. nostrum. Amen.

Oratio super infirmam Mulierem.

DOmine Jesu Christe, qui infirmam mulierem tactu fimbriæ sancti vestimenti tui pristinæ sanitati restituisti? aliam quoque mulierem per Diaboli Machinationem incurvatam erexisti, & incolumitati restituisti; digneris ob reverentiam & intercessionem SSmæ Matris tuæ Virginis Mariæ, de qua conceptus, natus, & nutritus fuisti, hanc N. famulam tuam (*cum prole sua NB.*) pristinæ incolumitati restituere, & ab omni periculo tàm animæ quâm Corporis liberare, ut tibi (*cum prole sua*) valeat in Ecclesia tua semper gratiarum actiones referre. Per te Jesu Christe, qui vivis. &c. Amen.

Aspergatur aquâ bened.

NB. Si languor diutiusculè perduret, legatur interdum ægroto officium vel Litania de S. Cruce, 5. Vulnerum. &c. aut quid de passione Domini, & quidem non ineptè passio Domini nostri Jesu Christi secundùm Joannem, quam etiam S. P. N. Franciscus *in sancto agone suo sibi prælegi curavit,* S. Bonav. in ejus vita. c. 14. n. 5. *Sicuti autem Sacerdotis oratio nunc consolatoria est sic & ejus benedictio, pro qua vide* pag 54. *vel ùt hic sequente cum aspersione aquæ hoc modô:* Benedictio super ægrum videlicet:

Domi-

Dominus noster Jesus Christus per virtutem hujus aquæ te à cunctis peccatis tuis emundet & abluat, & contra omnes Dæmones potenter defendat in nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † S. *Amen.* *Vel.* Benedicat te Deus Pater † sanet te Deus Filius † illuminet te Spiritus † S. Cor tuum custodiat, animam tuam salvet, & ad supernam vitam te perducat. *Amen.*

ANTIDOTUM PRO CONFESSARIO

Dum infirmus, quem visitat, laborat Morbo contagioso, peste, aut aliâ Lue inficiente. &c.

1. Optima & facillima præservativa est infectos non accedere jejuno stomacho; sed qui accedit, priùs sumat jusculum, vel vinum medicatum ex herba absynthii, Cardui benedicti, Rutæ, Angelicæ. &c.

2. In accessu ad ejusmodi infectos labia, Nares, os & tempora illiniat Balsamo vel aceto, vel Theriacâ &c. & in eorum præsentia salivam non deglutiat sed semper exspuat.

3. Curet, ut ante ejus ingressum æger in lecto ita componatur, ut commodè confiteri possit, attendendo, ne æger in sua præsentia se multùm moveat, aut lectum aperiat. Confessionem interim ita audiat, ut tantùm essentialiter requisita non omittat, & à non necessariis quæstionibus abstineat.

4. Caveat vel maximè ab halitu infecti, ne eum excipiat. Unde super infirmum se non inclinet, nec aurem ei admoveat, nec unquam se directè ponat contra infirmum ex adverso, sed potiùs ad latus consistat aversâ facie.

5. Invisens utatur vestibus minimè villosis, eásque aquâ vel flammâ sæpiùs lustret. Ab omni contactu ægri abstineat, nec manum salutandi gratiâ porrigat, nec eundem multùm aspiciat

6. Confessarius nunquam se constituat inter infectum & ignem vel fenestram, quia aer ab infecto trahitur ad ignem vel fenestram, adeóque inficiet Confessarium. Hinc optimum erit, si interponat ignem, carbones ardentes vel saltem candelam accensam inter se & inter infectum aut ægrum.

7. Si ſentiatur alteratio ob afflatum alicujus attractæ peſtilentis auræ, mox provocandus eſt copioſus ſudor. v g. ſudorificô hauſtu, vel Theriaca præſertim Egrana ſudorem eliciendo, ſicque cum ſudore venenum propellendo.

---

§. 2.

PRAXIS

Adjuvandi Infirmum, eique nonnulla præſtandi.

NB. *Teſte S. Dionyſio*, Divinorum diviniſſimum eſt cooperari ſaluti animarum. *Saluti cooperabitur, qui decumbenti ſuggerit, prout conditio exiget, breves, ac pietatis plenas Orationes, monendo præ cæteris, ut, quando mens adhuc viget ratione, & Fidei, Spei & Charitatis, aliarumque virtutum actus ſubinde eliciat, hoc ſeq. vel aliô modô.*

ACTUS FIDEI.

OMnipotens ſempiterne Deus: ego indigniſſimus famulus tuus, & filius ancillæ tuæ, Eccleſiæ Catholicæ, omnes contra fidem exortas tentationes rejicio: omnes fidei noſtræ articulos firmiſſimè credo, quia tu eos revelâſti, qui falli nequis, cùm ſis infinita ſapientia, nec potes fallere aut mentiri, quia es prima, ſumma & infinita veritas ac veracitas. In ſpecie autem credo

1. Quòd tu ſis verus Deus, infinitæ perfectionis, & inquirentibus te Remunerator ſis, id eſt, Vindex malorum & Retributor bonorum ſupernaturalis.

2. Animam meam eſſe immortalem, creatam ad finem ſupernaturalem Beatitudinis.

3. Gra-

3. Gratiam Dei esse nobis ad salutem necessariam.

4. DEum Unum esse in essentia, & Trinum in Personis.

5. Secundam personam esse incarnatam, & nos in ara Crucis redemisse.

6. Denique omnia, quæ credit Ecclesia Romano-Catholica, nobisque credenda proponit.

ACTUS SPEI.

CLementissime DEus! tametsi multa & gravissima peccata commiserim: spero tamen ex tua misericordia; & ex bonis operibus gratiæ tuæ adjutorio factis: me gloriâ sempiternâ fruiturum: & si reus essem omnium peccatorum totius mundi: tamen in te sperarem, major est enim tua bonitas & clementia, quàm iniquitas mea: spero Domine, mihi remissum iri peccata mea: Spero vitam æternam per merita Christi infinita, quia verè & summè bonus, potens, misericors & fidelis es in promissis, quare igitur tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor ei, salutare vultus mei, & Deus meus: bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Actus Amoris.

DOmine Deus, qui perpetuâ charitate dilexisti me; quia, cum non essem, creâsti me, cum perditus essem, reparâsti me; cum ob peccata periissem, ad vitæ gratiam resuscitâsti me; & teipsum totum mihi dedisti: adde quæso! hoc beneficiis tuis, Deus meus, ut sine modo, & purissimo amore diligam te nunc & in perpetuum; quoniam summum bonum

num es, ſuper omnia infinito amore digniſſimus. Quàm pœnitet me, quòd alia extra te amaverim, utinam poſſem tranſactos annos revocare, & amoris tui actibus replere: reple Deus meus animam meam amore tui, ut amore tui ardeam, & amore æſtuans, nunc moriar amore tui, qui amore mei dignatus es mori prior. Utinam ultimus halitus, quo animam efflabo, halitus amoris ſit. O! dulciſſima vita animæ meæ, utinam deficiat in te cor meum: Moriar amore tui, Deus meus, da mihi vitam amando finire; ultimus vitæ actus ſit amare te ſolum Deum meum.

Actus Reſignationis & patientiæ.

IN *manibus tuis*, ô Deus meus, *ſortes meæ*: valetudo & infirmitas: Mors & vita: quod bonum eſt in oculis tuis, id facias, id mihi des: paratum cor meum ad omnia, quæ placent tibi, ut agam vel patiar: paratus ſum & non turbatus, ut cuſtodiam mandata tua: da mihi facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Me-ne vivere vis? fac ut vivam in te. Me-ne vis mori? fac ut moriar in te. Viſne diutiùs me pati? non moriar adhuc, ſed patiar pro te, quoniam ſic fuit placitum ante te. O Pater mi! ſuſcipio de paterna manu tua omnes & ſingulos hujus Morbi dolores, eóſque pro delictis meis fero patienter: amarus eſt Calix, ſed tamen amore tui paratus ſum ebibere illum: omnes dolores arbitror ùt gaudia, ut perficiam ſanctum beneplacitum tuum: Calicem igitur ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. ô! Domine, laudent te omnes Angeli, & ſancti tui, propter cruciatus, quos mihi miſiſti.

PRAXIS

PRAXIS
Veræ Contritionis.

O Domine JEſu Chriſte, animarum noſtrarum amator ardentiſſime: qui præ nimia bonitate non vis mortem peccatoris, ſed magìs, ut convertatur & vivat. Doleo ex intimo corde meo, quòd te Deum meum vivum & verum, cui omnia peccata mea vehementer diſplicent, offenderim: qui me uſque adeò dilexiſti, ut pro me ſervo viliſſimo pretioſum ſanguinem tuum fundere, & mortem acerbiſſimam ſubire dignatus ſis, Ignoſce, ô miſericors Deus ignoſce miſericordiam petenti ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum. O quàm pœnitet me peccatorum contra te Deum meum, ſummum bonum meum, quem ſuper omnia diligo, commiſſorum. Ignoſce, inquam & tu Bone Jeſu, ignoſce veniam poſcenti ob merita tua, quæ majora ſunt, demeritis meis. Ignoſco etiam pro tui amore omnibus, qui me unquam offenderunt, firmitérque ſtatuo univerſa deinceps peccata fugere, & ea, quæ contra immenſam bonitatem tuam patravi, in amaritudine animæ confiteri. Sic & non aliter mori cupio, niſi de peccatis meis confeſſus, veréque contritus. Dic ergò animæ meæ: Salus tua ego ſum.

AFFECTUS.

Credo in te, ô ſuprema veritas!
Spero in te, ô æterna felicitas!
Revereor te, ô tremenda Majeſtas!
Amo te, ô incomprehenſa bonitas!
Glorifico te, ô ſanctiſſima Deitas!

Doleo iterum, & medullitùs doleo, quòd unquam offenderim te, ô propitius eſto mihi peccatori

SELEC-

SELECTA PRÆPARATIO
Pro ultima Confessione Sacramentali.

O! Domine, misericors & juste, ego peccator, ante te Judicem meum supremum, velut reus adductus, sto: & video, quòd nec falli potes, quia sapiens es; nec vinci potes, quia omnipotens es; nec declinari potes, quia ubique es; cùm igitur videam, nullum esse effugii, aut defensionis locum; ad solam misericordiam tuam me converto, & precor: miserere, ah! miserere, quoniam in te confidit anima mea. Peccavi, Domine, peccavi, & iniquitates meas agnosco. Quare peto rogans te, remitte mihi, Domine, remitte mihi, & ne perdas me cum iniquitatibus meis Ad te venio sub vitæ meæ vesperum & Solis occasum, ad te, inquam, qui in misericordia tua dixisti: ***Nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat***: Aspice, misericors Deus, de cœlo sancto tuo, confusionem meam & reverentiam meam propter multitudinem iniquitatum mearum. Respice in faciem Christi tui pro me pendentis de cruce: audi vocem sanguinis filii tui Jesu, pro me clamantis ad te de terra: suscipe protectricis pœnitentium Bmæ Virginis Mariæ oblatas in gratiam mei supplicationes, S. Angeli custodis mei: S. patroni mei N. intercessionibus attende: & ut gaudium sit in cœlo super me peccatore pœnitentiam agente SS. omnium NN. precibus & meritis da mihi, Pater misericordiarum & DEus totius consolationis, de peccatis meis innumerabilibus, pro quibus iram tuam toties merui, compunctionem teneram, lachrymarum effusionem amaram, emissionem gemituum affectuosam, da spiritui meo tribulationem saluberrimam: cordi meo contri-

contritionem intimam, veram, validam, constantissimam: ori meo, omnium delictorum meorum accusationem sinceram, fidelem, dolorosam: animæ meæ splendorem gratiæ tuæ, ut in bono proposito perseverem, singula peccata mea integrè nunc confitear, pro iis, quantùm opto, plenè satisfaciam, tibi denuò placeam, in te vivam, non in me, & in te moriar, ac propter te, qui author es hujus & dator vitæ futuræ, Amen.

Suspirium ad Jesum.

Hoc ego cum lachrymis oro, per sanguinis Undas,
Per vulnus lateris, per sacri vulnus amoris,
Deme mihi misero scelerata crimina vitæ.

DE VIATICO.

NB. *Differt à Communione ordinaria: per hanc enim petimus gratiam benè vivendi, per illud verò benè moriendi.*

SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ

Anagrammaticè

CHARA CERES, MUTATA IN JESUM.

Orexis Eucharistica.

O cœleste viaticum! esto mihi, quamdiu adhuc sum in via, salutare alimentum; vires instaura, debilem robora, sis commeatus, usque dum ad cœlestem patriam perveniam. Tu enim es verè viaticum ascendentium de exilio ad patriam.

Manna. *Exod.* 16. *Joan.* 6.

O cœleste viaticum! tu es verum Manna, omne delectamentum in se continens, & veros Israëlitas per hujus mundi desertum in via confortans, donec

in

in terram promissionis introducas. Obsecro te, me famelicum & fatiscentem refice, pasce, recrea, & in terram Chanaan, lacte & melle cœlesti manantem perducere dignare: ais enim; qui manducat hunc panem, vivet in æternum, *Joan.* 6.

Panis Subcinericius. 3. *Reg.* 19.

O cœleste viaticum! panis confortans cor hominis, longè ampliùs, quàm panis ille, qui in solitudine ita Prophetam Eliam roboravit, ut in fortitudine cibi, illius ambulaverit usque ad montem Dei Horeb. O panis Divine! conforta, quæso, me debilem, ut in fortitudine quoque hujus ambulem absque defatigatione usque ad montem Cœlestis gloriæ.

Mel Jonathæ. 1. *Reg.* 14.

O cœleste viaticum! tu es omni melle dulcius, & ad illuminandum oculos nostros potentius, quàm illud mel Jonathæ, de quo S. Script. Summitatem Virgæ intinxit in favum mellis, & convertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi ejus. O mel dignum! O Jesu, salus mea & lux mea! obsecro te, mentis meæ tenebras dissipa: & oculos meos illumina, ne unquam obdormiam in morte æterna: sed ubi oculos corporis clausero, animæ oculos aperiam; & æternùm videre merear te Deum Deorum in Sion.

Panis Madian. *Judic.* 7.

O cœleste viaticum! millies fortius atque efficacius ad hostes prosternendos, quàm panis ille subcinericius, qui visus est evertere castra Madianitarum, & tabernaculum Regis solo æquare. Corrobora me, obsecro, ut hôc Epulô sacrô velut gladiô Gedeonis arma-

armatus, Luciferum hostésque tartareos, regni cœlestis aditum mihi præcludere molientes, percutiam, & in fugam convertam, quô feliciter regnum illud ingrediar.

Panis Melchisedech. *Gen.* 14.

O cœleste viaticum! adumbratum in pane illo, qui pro Abraham à Melchisedech Sacerdote in signum victoriæ oblatus est, benedictionémque contulit. Esto, dum te sumo, mihi quoque in signum gloriosæ de mundo, carne ac diabolo victoriæ futuræ, ac triumphi sempiterni in cœlo; ùt olim promisisti: Vincenti dabo Manna absconditum. *Apoc.* 2.

Lignum Vitæ. *Gen.* 2. *Apoc.* 22.

O cœleste viaticum! præfiguratum in ligno vitæ, cujus fructus, si interdum comederetur, sufficiebat ad conservandam vitam in perpetuum. ô lignum vitæ! ô arbor salutis! in medio Ecclesiæ paradiso plantata, ut fidelibus tuis vitam æternam conferres: nunc ita me pasce, ut vitam æternam obtineam, & vesci merear de ligno vitæ, quod est in paradiso Cœlesti.

Pignus Gloriæ.

O cœleste viaticum! verè pignus gloriæ & arrha salutis æternæ nobis promissæ: ô quis ad pignus hæreditatis nostræ non adspiret fidenter? Lætare igitur, & exulta anima mea, spe gaudens, securitatem habens! ô quàm anhelo ad te, cùm sis panis de cœlo descendens! Ecce accedo ad te ùt esuriens ad edulium, ùt sitiens ad aquas, ùt debilis ad confortantia, ùt cæcus ad lumen claritatis æternæ, ùt afflictus ad præsidium, ùt lassus ad vehiculum, denique

ùt pauper & egenus ad Dominum cœli & terræ, ùt filius adiens adoptionis ſuæ bona.

Precatio Euchariſtica

Ante Communionem.

Novi Domine indignum me, qui fiam particeps immaculati tui corporis & ſanguinis pretioſi. Reus ſum, ſed miſerationibus tuis fretus ad te venio, qui dixiſti: ***Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in eo.*** Joan.6.

Miſerere ergò Domine, nec traducas me peccatorem. Sed age mecum ſecundùm miſericodiam tuam: & fiant mihi hæc ſancta Myſteria in medelam, in purificationem, in illuſtrationem, in antidotum, in ſalutem & ſanctificationem animi & corporis: in averſionem omnis imaginationis & actionis pravæ, efficaciæque diabolicæ, quæ ſecundùm ſenſum in membris meis operatur.

Sint in fiduciam & dilectionem, quæ tendit in te. In emendationem vitæ & ſecuritatem. In augmentum virtutis & perfectionis. in conſummationem mandatorum. In Spiritûs S. communionem. In viaticum æternæ vitæ. In defenſionem acceptabilem apud tremendum tribunal tuum. Amen.

Poſt Communionem.

Imple os meum laude tuâ Domine, & gaudio reple labia mea. ut laudem gloriam & magnificentiam tuam; gratias inſuper agens tibi Chriſte Deus meus, quoniam dignatus es me participem fieri corporis & ſanguinis tui in remiſſionem peccatorum & in vitam æternam, ut me à condemnatione conſerves, obſecro, quoniam bonus & benignus es.

Do-

Domine Jesu! pro nobis passio tua celebrata est. Tu pro nobis fel illud bibisti, ut omnis in nobis adversarii amaritudo moreretur. Pro nobis tu quoque bibisti acetum: ut nostra lassitudo confortaretur. Pro nobis consputatus es, ut immortali nos rore perfunderes. Percussus es à calamo fragili, ut fragilitatem nostram vitæ perpetuæ, æternitatique firmares. Coronatus es spinis, ut virenti semper, in te credentes charitatis tuæ laureâ coronares: involutus præterea fuisti Syndone, ut nos quodam virtutis tuæ involucro vestires. In sepulchro poni voluisti novo, ut nobis novam gratiam, nova sæcula renovares. Fiat igitur mihi hæc sumpta Eucharistia ad vitam, ad viscera misericordiæ, ad gratiam salutis, sanitatémque animæ meæ. Amen.

De Sacramento extremæ Unctionis.

NB. ***Nicolaus de Nisa Ord. M. in gemma prædicantium tract.*** 1. scribit: quendam magni cæteroquin meriti interrogatum, an vellet *ungi*? renuisse. *nolite*, inquiebat, *obsecro, quia omnes, qui unguntnr, moriuntur*; atque in iis verbis obiisse. Cum verò linteaminibus involveretur, aperuisse oculos & hæc dixisse: *Quia Extremæ Unctionis Sacramentum abhorrui*, 100. *annis in purgatorio ullô Dei Judiciô torquebor*; *si unctus fuissem, de ægritudine convaluissem*; *sacra enim Unctio non est acceleratio mortis sed dilatio.* Atque his dictis iterum expirasse. Unde evellendus est is scrupulus, quò aliquando anguntur ægrorum animi, ob miram hujus Sacramenti virtutem: dat enim robur contra insultus Diabolicos, excitat fiduciam in divinam misericordiam, delet reliquias peccatorum, id est, non tantùm pœnas restantes, sed & anxietates & errores ex peccato commisso, tollit quoque peccata & venialia & aliquando per accidens mortalia. Confert etiam subindè sanitatem corporis, si tamen ita supremus medicus animæ saluti judicaverit expedire. ***Cardinalis Bellarmini*** opinio est, ideò rariores ægros optatissimum hunc sanitatis fructum decerpere, quòd serius ad hanc arborem accedant.

Forma administrandi Extrem. Unct.

Hæc eadem est quoad singula membra, nominando solùm illud, quòd qualibet vice inungitur. vg.

Ad Oculos.

PEr istam sanctam † Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti. In nomine Patris † & Filii † & Spiritûs † sancti. Amen. *Jam NB. loco ly* per visum, *dicis vg. ad aures* per auditum. *Ad Nares* per odoratum. *Ad Os* per gustum & locutionem. *Ad pectus* per cogitationes & affectus cordis. *Ad Manus* per tactum. *Ad pedes* per gressum. &c.

AFFECTUS AD JESUM

Ab inungendo vel ante, vel post, vel in ipsa hujus Sacramenti susceptione eliciendi.

Ad Oculos.

O JESU Salutaris meus! in tenebris versatur anima mea, creatura tua dilecta: Sis tu Salus & illuminatio mea; per purissimas oculorum tuorum lacrymas abluens omnes peccatorum oculorum meorum maculas, ut in vitæ meæ termino, absque impedimento, mundô cordis oculô, faciem tuam dulcissimam videam, in sanctæ Trinitatis speculo. ô Jesu pulcherrime! submerge me in abyssum tuæ fruitionis.

Ad Aures.

O Jesu spes mea amabilis! heu vitio meo obsurduit auris mea. Per aurium tuarum pietatem nunc ablue omnem peccantium aurium mearum iniquita-

quitatem, ut in mortis hora non timeam ab auditione mala, ſed in tua vocatione dulciſſima auditui meo detur gaudium & lætitia.

Ad Nares.

O Jeſu, Deus magne, dulcis atque benigne! etiam odoratu abutendo offendi te: Eja Domine, per Mephytin, quam in Calvariæ monte naribus tuis Sacroſanctis hauſiſti, narium mearum ſenſualitatem abſterge, ut in mortis hora te feliciter inveniam, ô vita mea vera & dulciſſima odoris fragrantia.

Ad os ſeu Labia.

O Jeſu gloria mea! multùm deliqui in guſtu & in lingua mea. Tu igitur reple os meum laude tuâ, & per dulcia oris tui Verba dele omnem polluti oris mei offenſam, ut in oris tui oſculo lætus tranſeam de hoc ſæculo, quia os tuum conſolatio cordis mei.

Ad Manus.

O Jeſu mi! ego opus manuum tuarum deſtruxi legem tuam, & quod ſanguine tuo reparaveras in anima mea; nunc per operum tuorum perfectionem, manuúmque tuarum Crucifixionem ablue omnem impiarum manuum mearum offenſionem, ut in mortis hora in prædulces amplexus tuos ruam ſine mora.

Ad pedes.

O JEſu, chare dux meus! heu quàm longè declinavi à via recta, & quomodo non cuſtodivi mandata tua: nunc dirige greſſus meos in tua voluntate, ut per doloroſam pedum tuorum fatigationem, durámque perforationem, ablutâ omni peccantium pedum meorum maculatione, per te læta-

bundus ingrediar locum tabernaculi admirabilis, usque in domum Dei.

Oratio Brevissima ad quamlibet inunctionem.

PEr hanc sacram Unctionem effectum tuæ dulcissimæ gratiæ & misericordiæ, suavissime Jesu, super me abundanter nunc effunde, ut à criminibus purgatus, mente renovatus, & spiritu corroboratus, contra insultus Adversariorum & vim mortis, fortis & invincibilis efficiar, moriénsque in tuas manus exspirem, & in æternum à te separari amodò non valeam:

ADMONITIO AD REFUGIA SANCTORUM

Ut ægrotus adjutus Dei gratiâ, etiam per eorum auxilia eò magis & magis erigatur ac obfirmetur ad salutarem mortem consequendam.

Refugium 1. DEUS.

Refert Taulerus *in Exhort. ad fel. mort. n.* 4. *cuidam revelatum esse, neminem periturum, qui moriens seq. verba cum fiducia pronuntiaverit, aut ab alio prolata cum affectu & pia mente auscultaverit.*

DOmine Deus, ego sum miser ille, quem tu paternâ tuâ omnipotentiâ propter te creâsti: & per ignominiosam mortem unigeniti Filii tui, de potestate inimici redemisti: atque per bonitatem Spiritûs Sancti in filium adoptâsti. Unde tu solus imperium & dominium in me habes: méque salvare potes, propter immensam misericordiam tuam, in quam spero & confido, quámque devotissimè imploro. Amen.

Suspi-

Suspirium Infirmi.

O misericors Deus, te rogo per mortem Filii tui anxiam, concede mihi horam beatam, cum anima discessura est à corpore, qui cum Filio & Spiritu S. vivis & regnas in sæcula sæculorum. Am.

Refugium 2. Cor Jesu.

Id est:

Litaniæ de Sanctissimo Corde Jesu.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de Cœlis Deus. Miserere nobis.

Fili redemptor mundi Deus.
Spiritus sancte Deus.
S. Trinitas unus Deus.
Cor Jesu pax & reconciliatio nostra.
Cor Jesu fons Paradisi.
Cor Jesu puteus aquarum viventium.
Cor Jesu propitiatio pro peccatis nostris.
Cor Jesu hostia vivens.
Cor Jesu origo Miraculorum.
Cor Jesu plenum amore.
Cor Jesu scaturigo felicitatis.
Cor Jesu repletum suavitate & miseratione.
Cor Jesu dulcedo perfectorum.
Cor Jesu languidorum Cor.
Cor Jesu in tribulatione solamen.
Cor Jesu in tentatione præsidium.
Cor Jesu fidelissimum.
Cor Jesu inebrians Charitate.
Cor Jesu rectè diligens.
Cor Jesu corona Sanctorum omnium.

Miserere nobis.

O Cor Jeſu, qui tollis peccata mundi. *Parce nobis Jeſu.*

O Cor Jeſu, &c. *Exaudi nos Jeſu.*

O Cor Jeſu, &c. *Miſerere nobis Jeſu.*

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos. *Pater noſt.*

℣. Paratum cor meum Deus Cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus volui, & legem tuam in medio Cordis mei.

Oremus.

RESpice, quæſumus, miſericordiſſime Deus in cor dilectiſſimi Filii tui, in quo tibi benè complacuiſti, ejúsque ſacratiſſimi cordis mœroribus, quos noſtrâ causâ pertulit, dignis ſatisfactionibus, quas pro nobis tibi perſolvit, placatus, concede corde contrito petentibus noſtrorum nobis veniam peccatorum: & tanto Chriſti amore cor noſtrum accende, ut ipſius divini cordis affectibus toti incenſi ſecundùm cor tuum inveniri mereamur. Per C. D. N. Amen.

Suſpirium pro felici morte.

Vi cujus refert Cæſarius l. 12. c. 51. quendam fuiſſe ſine Purgatorio ad Cœlos admiſſum.

DUlciſſime Jeſu! per illam amaritudinem, quam ſuſtinuiſti propter me in Cruce, maximè quando anima tua benedicta egreſſa eſt de corpore tuo, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo. Amen.

Refugium 3 Vulnera Jeſu.

Id eſt eorum pia ſalutatio.

AVe Manus Dextra Chriſti
Perforata plagâ triſti
Nos ad Dextram jube ſiſti
Quos per Crucem redemiſti. *Pater. Ave &c.*

Ave Manus Christi læva
Sic confixa manu sævâ,
Nos ab ævo malo leva;
Quod produxit Mater Eva. ***Pater. Ave &c.***
Ave Vulnus Dextri pedis
Pedem mentis piè lædis,
Dum ad eam sæpe redis,
Esto nobis spes mercedis. ***Pater. Ave. &c.***
Ave plaga lævæ plantæ
Quâ virtutum crescunt plantæ,
Nos ab hoste supplantante
Contuêre post & ante. ***Pater. Ave. &c.***
Ave latus perforatum
Unde fluxit flumen gratum
Præbe nobis conducatum;
Ad æternæ vitæ statum. ***Pater. Ave. &c.***

℣. Vulneratus est propter iniquitates nostras,

℟. Et attritus est propter scelera nostra.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui pro salute humani generis 5. Vulnera pati voluisti: tribue quæsumus, ut ob reverentiam illorum Vulnerum tuorum absolvi merear ab omnibus peccatis meis, & præsentem vitam bono fine terminare, & à tuæ dulcissimæ Visionis contemplatione nunquam separari. Qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Refugium 4. B. V. Maria.

Id est: Litaniæ Lauretanæ. &c.

O Sanctissima Dei Parens Virgo! per acerbissimæ passionis Jesu Christi merita te supplex oro, ut, cùm me mori contigerit, mei memineris. Tuis Virgineis

gineis manibus animam committo meam. Suſcipe eam; & recordare triſtiſſimæ illius horæ, quâ Filio tuo aſtitiſti, per dolorem hunc tàm fortem, & per Nati tui mortem, per ſacra ejus vulnera, & ſanguinis ejus merita in hora mortis ultima ab hoſte tu me libera. Amen.

Affectus Terni

Quos B. Virgo S. Mechtildem docuit, eoſque piè recitare ſolitis, promiſit ſe in hora mortis adfuturam.

Recitatio Ave Maria.

O Domina mea S. Maria! ſicut Deus Pater per omnipotentiam ſuam te potentiſſimam effecit: ita mihi, quæſo, adſis nunc & in hora mortis meæ, expellendo in me omnem contrariam poteſtatem.

Ave Maria. &c.

O Domina mea S. Maria! ſicut Filius Dei, tantâ te cognitione & claritate dignatus eſt; ut totum Cœlum illumines? ita nunc & in hora mortis meæ, animam meam cognitione fidei ſic illuſtres & corrobores, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur.

Ave Maria. &c

O Domina mea S. Maria! ſicut Spiritus S. ſuum amorem tibi plenè infudit: ſic tu nunc & in morte mea dulcedinem amoris divini inſtilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur ſuaviſſima.

Alius affectus, quem B. Virgo Sanctam Gertrudem docuit, cúmque devotè elicienti ſe adfuturam promiſit in exitu animæ P. Dircking in pharetra infirm. p. 2. pag. 158.

AVe candidiſſimum Lilium, fulgidæ ſempérque tranquillæ Trinitatis, Roſáque præfulgida cœli-

cœlicæ amœnitatis; de qua nasci, de cujus lacte pasci Rex Cœlorum voluit; divinis influxionibus animas nostras pasce.

Refugium 5. Familia Sacratissima.

In agone præcipuè id est:

Jesus, Maria, Joseph, Joannes Bapt. Joachim, Anna.
O Beata *Jesu Christi* familia!
Maria Virgo Dei Patris filia,
Mater Filii Dei unigeniti
Et Sponsa Spiritûs S. paracliti:
Joannes Baptista Sanctorum maxime,
Joseph Verbi incarnati nutritie,
Anna, Christi Avia felicissima,
Et Joachim nate de stirpe regia:
Totáque Cohors custodum Angelorum,
Omniúmque dilectorum Patronorum,
Per *Jesu Christi* charitatem maximam
Obtinete mihi á Patre gratiam,
Spiritûs paracliti assistentiam,
In hora mortis piam confidentiam:
Auxilium præstate in agonia,
Ut vitam mortalem claudam morte pia. Amen,

Refugium 6. SS. Patroni

Vg. Juxta ægrotantis devotionem, quem singulariter coluit.

O gloriosissime Sancte N. in te spem & confidentiam mihi apud Deum patrocinandi collocavi. Nunc maximè tuo mihi est opus auxilio. Succurre igitur, & in adjutorium meum intende in hoc extremo necessitatis meæ articulo.

Ad

Ad S. Vincentium Levitam & Mart.

O B. Vincenti Martyr Christi inclyte, exora pro me Deum omnipotentem, qui tibi inter tot tormenta animum donavit invictum, & in Carcere honorifico solatium concessit angelicum, ut tuâ prece placatus, mihi condonet meorum veniam commissorum. Amen.

Ad S. Antonium de Padua.

O Dulce morientium salus S. Antoni! in tuam singularem custodiam commendo mortis horam, in qua ipsa tremenda æternitas versatur: tunc seda cordis angores, intellectum illumina, in fide conforta, cunctósque infernales insultus propulsa, ne Dei miserantis obliviscar. Tunc memineris, quanto ardore te nunc invocârim, quanta fiducia me tibi subarrhaveram. Jesum, brachiis tuis inhærentem, inflecte, ne ulli dæmonum aditus patescat. Te quoque intercedente languens anima mea, criminibus subinde immortua, suscitetur, & à culpis mortiferis præserva, ne postmodum sedeat in umbra mortis æternæ. Amen.

NB. Malâ morte non morietur, qui indies devotè oraverit illud Respons. de S. Antonio. Si quæris &c. *pag* 106 *ita in Italia* 1636. *Dæmon ipse fassus est ex obsesso. Testis oculatus ibidem adfuit n. P. Provincialis Bresserus. Vid. Ratiocinium meum pag.* 334.

Ad S. Barbaram Virg. & Mart.

O Singulare morientium solatium S. Barbara! gratiæ, quæ tibi à Deo præ cæteris data est miseris in agone subveniendi, nunc sit commissa

anima

anima mea. Oro te, ora pro me, ut per te contra omnia pericula protectus, contra hostium incursus munitus, sicque in fide, spe, charitate stabilitus, ex hac vita emigrare merear. Amen.

Cætera juxta devotionem & requisitionem ægrotantis, &c.

Precatio *seu* desiderium

Ad inquirendum cælestia multùm provocans.

JEsu bone! quando stabo ad videndum te? quando contemplabor gloriam regni tui? quando eris omnia in omnibus? O fons vitæ, vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ, de terra deserta, invia & inaquosa, ut videam virtutem tuam, gloriam tuam, & satiem ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam? sitio Domine, fons vitæ es, satia me; sitio Domine, sitio te Deum vivum. O quando ero tecum in regno tuo, quod præparâsti Electis tuis ab æterno? putásne videbo diem illam, diem inquam jucunditatis & lætitiæ? *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!* Consolare exilium meum, mitiga dolorem meum, quia ad te Domine suspirat omne desiderium meum. *Deus meus ne elongeris â me.* Dissipa à me omnes phantasias inimici. Recollige omnes sensus meos ad te. Fac me oblivisci omnium mundanorum. Succurre, ne ulla me moveat vanitas. Da, ut mox audiam vocem tuam: *intra in gaudium Domini tui.*

Quæstio-

Quæstiones Salutares,

Quibus æger ad præcipuarum virtutum actus eliciendos adjuvetur, & is vel ore vel corde respondeat.

Nunquid omnia credis, quæ Deus revelavit, ejúsque Ecclesia nobis proponit credenda? ℞. ***Omninò.*** & benè; nam ***sine fide impossibile est placere Deo.*** Dic ergo mecum: ***Credo in Deum &c.***

Nunquid omnem spem ac fiduciam in Deo Jesu tuo defixisti? annuis? rectè cum psalte: ***Spes mea in Deo est*** *Ps. 61.*

Nunquid etiam diligis Deum super omnia? ***ita.*** Est enim summum bonum, infinitè amabile & ***diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum Rom. 8.***

Nonne doles ex animo te Deum ita multis criminibus offendisse, quem amore summo prosequi debueras? ***heu! verum nimis***; ergo: ***dic mecum, doleo mitissime Jesu & dolor est me non posse dolore magis.***

Annon petis tibi ignosci ab omnibus, quos offendisti? & tu annon simul ex corde ignoscis cuilibet inimico tuo? ***imò. Peto ignosci & ignosco ex animo.*** Bonum factum. ***Dimittite & dimittemini. Luc. 6.***

Nunquid ita animo comparatus es, ut acceptes hunc morbum de manu Dei? affirmasne ***cum Jobo? si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?***

Nunquid demùm totus resignatus es quoad omnia, quæ Deus immittit? ***haud indubiè.*** Ex integro meipsum divinæ voluntati resigno. Hoc Deo gratissimum est, & nullum sanè exercitium utilius in extremis à te fieri potest. ***Fieri enim nequit, quin is, qui in ejusmodi perfecta, veráque resignatione ex hac luce exit***

ixit, confestim ad regna cœlestia évolet. Nam sicut nihil omninò pœna, nihil ignis purgatorii in Deum cadere potest; ita nec in hominem, qui eo modo per voluntatis conformitatem, amorémque Deo unitus est. ita Lud. Blosius 3. cap. appendicis in institut. spiritual. Sed quid.

De Ægro obstinato ?

NB. Si peccatorum veniam desperet, proponatur, quòd & si maxima est ipsius peccantis impietas, major tamen est Dei miserentis pietas. Excedit enim omnium criminum quantitatem & numerositatem, quæ in communi posita offertur omnibus, à qua nemo est expers, nisi qui eam renuerit, infinitáque est. Peccatorum verò etiam ab origine mundi commissorum numerus, quibus omnibus minima gutta pretiosissimi sanguinis Domini Dei nostri in passione diffusi præponderat.

Præterea quod Judam, qui sceleratissimus omnium habetur, Dei singularis clementia ad misericordiam parata erat suscipere, vocando eum amicum, tamen quia desperavit, damnatus est, plúsque desperando peccavit, quàm Jesum Christum prodendo.

Postremò proponatur, quòd peccatorum remissio, est articulus fidei, quô significatur, quòd, quantumcunque, & quotiescunque homo peccaverit, tamen per veram pœnitentiam peccatorum remissionem consequi potest: quod nisi crediderit, verus Christianus non est.

Si Sacramentorum Ecclesiæ receptionem differat, ostendatur ei, quòd matura sacramentorum receptio potest prodesse & non nocere. Et quòd forsan nunquam dabitur talis opportunitas eorum suscipiendorum.

Non

Non detur ei nimia spes corporalis salutis consequendæ, ne ea ex morientis animo, salutis spiritualis curam excutiat.

Casu, quô æger obstinatus permanserit, ei occini potest; perditio tua ex te ô Israël! *Sacerdos interim cogitet, se SS. Angelos, imitatum fuisse, qui, quos à Deo sibi commissos habent, monent, quoad possunt, defendunt, regunt, urgent, ad bonum juvant; sed si illi voluntatis libertate abutantur, & insequentes & obstinati sint, propterea tamen nullo anguntur mœrore, nullâ afficiuntur molestiâ dicentes:* Curavimus Babylonem, & non est sanata. *Jerem.* 51. ℣. 9.

§. 3.

DE ASSISTENTIA AGONIZANTIUM.

NB. *Si Morituriens videatur esse destitutus auditu, sæpe vox per nervos sensorios delata percipitur, si formetur supra caput ad cranium, quàm ad aures ipsas, uti experientia quorundam docuit. Unde expediet ibi inclamare moribundo.*

AD PORRECTIONEM CRUCIFIXI.

Vox Christi.

Ut vivas morior, quæ nunc dilectio major?
Cernitur in toto corpore sculptus amor.

Sacer-

Sacerdos ad infirmum dicat :

Aspice in auctorem fidei. *Hebr.* 12. ℣. 2.

Mortémque non modò accepta in peccatorum satisfactionem; verùm etiam ex amore te conforma Christo pro te morienti, aspirando :

In Manus tuas Domine commendo spiritum meum.
Jesu Fili David, miserere mei.
Deus in adjutorium meum intende
Domine ad adjuvandum me festina.
Bone Jesu, dic animæ meæ, salus tua ego sum.
Bone Jesu, qui venisti perditum redimere, noli
Damnare redemptum.
Domine Jesu! suscipe spiritum meum.

Tu es spes mea, portio mea in terra viventium Ps. 141.

AD PORRECTIONEM CANDELÆ

Moriens annuat se jam mori velle in fide Catholica & sperare lucem æternam per Christi merita, qui est lux vera, simúlque se lucernâ hac ardente Oleô charitatis nunc paratum esse ad obviandum Sponso cœlesti.

Bone Jesu	in quem credidi in quo speravi quem dilexi	Miserere mei.

O Maria Mater Angele Sancte ô vos N. Sancti	DEI	Memento Sit tibi cura Memores estote	mei.

ORATIONES ECCLESIÆ pro Agonizantibus.

OMnipotens & misericors Deus, qui humano generi & salutis remedia, & vitæ æternæ munera con-

contulisti: respice propitius famulum tuum N. infirmitate corporis laborantem, & animam refove, quam creâsti; ut in hora exitûs illius, absque peccati Macula tibi creatori suo, per manus Sanctorum Angelorum repræsentari mereatur.

Quæsumus clementiam tuam, omnipotens Deus, ut per virtutem SS. Passionis tuæ, famulum tuum N. gratiâ tuâ confortare digneris: ut in hora mortis ejus non prævaleat contra eum adversarius, sed cum Angelis tuis transitum habere mereatur ad vitam.

Domine Jesu Christe, qui totum genus humanum in ligno crucis de diabolicæ servitutis jugo liberâsti: libera hunc famulum tuum N. ex omnibus periculis & angustiis suis; & da ei veniam delictorum suorum: ut cum extrema vitæ hora advenerit Angeli pacis eum suscipiant per omnium Sanctorum preces & merita. Qui vivis & regnas, &c.

ORDO

Commendationis Animæ jamjam egressuræ,

Habetur in Breviario. *Huic annecte ex* Rituali Romano *sequentes*

Tres efficaces Orationes.

1. *Dicitur:*

Kyrie el. Christe. Kyrie. *Pat. noster Ave Maria.*

Oremus.

Domine JEsu Christe, per tuam sanctissimam Agoniam, & orationem, quâ orâsti pro nobis in monte Oliveti, quando factus est sudor tuus, *sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*: Obsecro te, ut multitudinem sudoris tui sanguinei, quem

præ

præ timoris angustia copiosissimè pro nobis effudisti, offerre & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti, contra multitudinem omnium peccatorum hujus famuli tui (*la*) & libera eum (*eam*) in hac hora mortis suæ ab omnibus pœnis & angustiis, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre & Spiritu S. vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

2. *Dicitur:*

Kyrie. Christe. Kyrie. &c. *Pat. noster, Ave Maria.*

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui pro nobis mori dignatus es in Cruce, obsecro te, ut omnes amaritudines passionum & pœnarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti, maximè in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de sanctissimo corpore tuo, offerre & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima hujus famuli, & libera eum in hac hora mortis suæ ab omnibus pœnis & passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre &c. *ut supra.*

3. *Dicitur.*

Kyrie eleyson &c. *Pat. noster Ave Maria.*

DOmine Jesu Christe, qui per os Prophetæ dixisti: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Obsecro te, ut eandem charitatem tuam, quæ te de cœlis in terram ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines attraxit, offerre & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima famuli tui, & libera eum ab omnibus passionibus & pœnis

quas pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe. Et ſalva animam ejus in hac hora exitûs ſui. Aperi ei januam vitæ, & fac eum gaudere cum Sanctis tuis in gloria æterna. Et tu piiſſime Domine Jeſu Chriſte, qui redemiſti nos pretioſiſſimo ſanguine tuo, miſerere animæ hujus famuli, & eum introducere digneris ad ſemper virentia & amœna loca paradiſi: ut vivat tibi amore indiviſibili, qui à te, & ab electis tuis nunquam ſeparari poteſt. Qui cum Patre. *ut ſupra.*

Poſt Exſpirationem.

Brevis admonitio ad præſentes, poſtquam pro anima à corpore ſoluta ſuas preces effuderint.

Ut tibi mors felix contingat, *vivere diſce:*
Ut felix poſſis vivere, *diſce mori.*
Diſce mori, cinis es, vivens tua crimina plora.
Fac ea, quæ *moriens*, facta fuiſſe voles.

MODUS CONSOLANDI

Defuncti parentes, proles, amicos &c.

NB. Afflictio tua non niſi ex tribus cauſis oriri poteſt; vel *ex parte* Dei, vel *ex parte tua aut amicorum*, vel *ex parte defuncti. Non ex parte Dei*: is enim jure ſuo repetit, quod ſuum erat. Depoſitario ſua repetenti volentes reddimus; cur, ſi Deus repetat amicum nobis ſolùm ad tempus conceſſum, doleamus & queramur? In bonum Chriſtianum cadit, nil aliud velle, quàm quod Deus vult: ſi ergò ille voluerit defunctum nobis auferre, quidni & nos velimus?

Nec

Nec dolendum est ex parte tua &c. obiîtne amicus tuus? en! hujus loco Deum habes amicum multò fideliorem, qui te meliùs novit solari, adjuvare, ditare, felicitare, prosperare. &c. ablatusne est Filius tuus unicus? *noli flere* : *Luca* 7. Hæredem habes in cœlo. Excruciatne te fortasse mors illius inopinata aut tàm præmatura? scito! *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Sap.* 4. Annon præstat, eum partum esse cœlo, quàm mundo, aut Diabolo? quis scit, cujus Filius fuisset futurus?

Neque afflictionis causa adest ex parte defuncti: vel enim obiît *benè* vel *malè*? Si *benè*? mors ejus non tam coronis, quàm vitæ corona est; unde lætandum potiùs est, quàm tristandum. *Accepit coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Jacobi.* 1. quam & nos adhuc speramus. Si *malus* aut *malè*? dolendum iterùm non est: quia pejor evasisset, si diutiùs supervixisset, atque adeò majorem pœnam incurrisset; quod Deus prævidens, rapuit illum. Dic ergò: *Justus es Domine, & rectum Judicium tuum. Ps.* 118.

Quæstiones Incidentales.

Q. 1. Eccur ponitur ad defuncti Cadaver Candela aut lampas ardens?

℞. Ad denotandum lumen fidei, quô à Deo illustratus fuit.

Q. 2. An defunctis prosit campanarum pulsus, res sacræ consepultæ, usus Cereorum ardentium, sepultura in loco sacro, aspersio aquæ, thurificatio.

℞. *Ex La Croix l. 6. p. 2. n.* 1346. Pulsus non juvat defunctos, nisi indirectè, quatenus audientes movet ad benè precandum defuncto.

2. Consepelire defunctis res pretiosas, imagines, numismata. &c. nullum etiam ipsis adfert subsidium.

3. Usus Cereorum ardentium prodest defunctis, in quantum amici nomine defuncti protestantur, se confiteri Christum esse verum lumen mundi, & ex ejus meritis sperare misericordiam.

4. Sepultura in loco sacro eis prodest, partim quia fideles illic convenientes excitantur ad orandum pro defunctis; quia preces publicæ, quæ in tali loco funduntur, extenduntur etiam ad inibi sepultos. *Vid. Ratiocinium à me nuper editum*, pag. 197.

5. Aspersio aquæ prodest propter Ecclesiæ preces: nam benedicens petit prodesse etiam ad condonationem pœnarum.

6. Incensatione thuris orat Ecclesia, ut anima defuncti pascatur odore cœlesti.

Q. 3. Undenam habeatur Mos ille, quòd scilicet pro defuncto per 30. dies continuos legatur Missa?

℟. *à Gregorio Primo*, qui ex post magnis in Ecclesiam meritis *Magnus* vocatus est. Is tempore, quô Romæ *Abbas* fuit *Benedictinus*, pro quodam Monacho defuncto triginta diebus continuis offerri jussit sacrificium: quod mortuo isti quàm benè cesserit, *vide Dialogum ipsius l. 4. c. 55.* & reperies (postquam defunctus apparuit, inquiens, se jam modò benè esse) sollicitè computâsse dies; & ipse dies extiterat, quô eo tempore tricesima oblatio fuerat impleta. Quas triginta Missas nunc usque ex hujus Pontificis institutione adhibere solemus pro defunctis;

functis; *uti etiam meminit. Burio in notitia Rom. Pont.* pag. 84.

NB. *Caveat quisque Sacerdos, ne Missas, si quæ pro defunctis petita fuerint in altari privilegiato, alibi legat; sicque obligationem quandam contrahat in simili altari recompensandi damnum; eo quòd privet animam defuncti notabili damno, nempe indulgentiis plenariis altari privilegiato concessis.*

§. 4.

DE MODO CONVERSANDI CUM Hæreticis & Resipiscentes reducendi ad Salvificam fidem Romano-Catholicam.

NB. *Juxta Becanum* quatuor sunt genera Hæreticorum.

1. ***Pertinaces***, qui, licèt agnoscant se à communi sensu Ecclesiæ & SS. Patrum recedere, nihilominùs ex superbia & obstinatione pertinaciter in suo errore permanent, ne à veritate converti videantur.

2. ***Zelosi***, qui ex ignorantia potiùs, quàm pertinacia judicant, suam *Sectam* veritati & Evangelio conformem esse, ideóque tanto ardore eam tuentur, ut vitam potiùs amittere, quàm errores suos deponere, parati sint.

3. ***Frigidi***, qui quidem errores suos agnoscunt, & etiam parati sunt deponere, sed ob varias excusationes, quas frigidè prætendunt, in iisdem perseverant.

4. ***Dubii***, qui simplici ac recto corde veritatem quærunt, ideóque quia ipsi per se invenire eam non possunt, ab aliis instrui & juvari petunt. Nunc

Q. I. Qualiter Confessarium cum Hæreticis agere oporteat?

℞. In primo congressu concilianda est eorum benevolentia, comiter alloquendo, & de iis duntaxat rebus agendo, in quibus cum illis convenimus, omni altercatione semotâ. Si quid etiam illis Charitatis, obsequii, aut honoris deferendum sit, id benevolè præstandum. Sic enim disponitur animus, ut videant non contentionis, sed veritatis & charitatis studiô nos conari illos à suis erroribus revocare. Ut primùm advertis te per tuam amicam conversationem propiùs de re loquendi occasionem nactum fuisse, paulatim, non tamen directè statim, eorum falsa dogmata impugna, sed solùm à longè proponenda est multitudo, novitas & discrepantia tot *Sectarum* in mundo; & *quomodo* inter se tàm repugnantes sint, ut de nullius veritate constare possit; *qualem* quisque habeat obligationem, adinstar viatoris eligentis viam minimè periculosam, indagandi viam certam & securam in negotio tanti momenti, qualis est æterna damnatio, si illa inquisitio negligatur; *quot* modò agnitô errore resipuerint, & etiamnùm resipiscant ob sua dubia, inquietudines, anxietates, eoquod negotium hoc, in quo cardo salutis propriæ versatur, tanti faciant. Ad hæc quid videtur? bone amice! credidero & ego etiam te aliquando non esse sine salutaribus scrupulis, &c. &c.

Quia tamen frequenter horrent ejusmodi personæ cum ipsis confessariis ab initio statim agere, ideo per alios subinde id fiat, qui iis à manu sunt aut à servitiis, suppeditando etiam libellos ejusmodi materias clarè tractantes. Multùm etiam juvabit tales suaviter inducere, ut Catholicorum Ecclesias frequentent,

con-

concionibus intersint, Catechesin auscultent. Sic enim alia longè, quàm sibi falsò hactenus persuaserant, videbunt & audient, sícque paulatim aut dubitare, aut in sua hæresi nutare impellentur.

Studeat Sacerdos, ut Hæreticum in disputationis suæ ingressu convincere valeat ***ex S. scriptura***, cujus sensum admittere debet juxta mentem SS. PP. & primitivæ Ecclesiæ; ***v. g.*** si sermo sit, ***num vera Christi Ecclesia debeat esse visibilis***? Tunc dic: ***Matt. 8.*** Jubet Christus, ut, si peccaverit Frater, post correctionem privatim, & coram testibus factam, ***dicatur Ecclesia, quòd si Ecclesiam non audiêrit; sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*** Quomodo verò dicetur Ecclesiæ? quomodo audietur? nisi sit visibilis? ***si Visibilis***? ergò & indigebit aliquo capite visibili, quale etiam Christus ipse constituit ***Petrum***, dicendo; ***Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. &c.*** quod necessariò intelligendum est de Petro cum suis Successoribus, cùm Christus noluerit Ecclesiam cum Petri vita extingui, sed per successionem monarchicam perpetuò gubernari in ea forma, quâ illam ab initio fundavit. Quam Petri institutionem Christus post Resurrectionem suam coram universo Apostolorum Collegio confirmavit reiteratò dicens: ***pasce oves meas, pasce agnos meos. Joan. 21.*** Ubi sine ulla exceptione totus Christi grex Petro, ejusque successoribus (***quales sunt Romani Pontifices***) veræ doctrinæ pabulô nutriendus traditur, omniúmque Pastor universalis instituitur. &c.

Sæpe non oberit urgere hæreticos, & premere quæstionem illam: unde sciant Biblia eorum, & quæ citant, esse verum verbum Dei, ***v. g.*** Evangelium S. Matthæi esse scriptum à S. Matthæo, & non ab

alio, qui nomen ejus finxerit? undenam habeant, me errare credendo realem Christi præsentiam in Eucharistia, aut alium quemcunque fidei Romanæ articulum? & si textum aliquem adducant; urge: ubinam in S. scriptura dicatur, eum sic secundùm illorum mentem, sensum & explicationem sumendum esse? &c. Necessariò sic deveniendum erit ad Ecclesiæ traditionem; adeòque ruet primarium ipsorum fundamentum. &c. &c.

Cum Rudibus verò & qui simpliciores sunt, non multùm altercandum est, sed potiùs commendanda est assidua oratio, quâ lumen cœleste illis à Deo impetretur; aut alia pia opera, quibus Dei clementiam pro fidei lumine exorent.

Q. 2. Quæ sit optima Methodus Hæreticos reducendi ad gremium salvificæ Ecclesiæ Romano-Catholicæ?

R. Optima & Brevissima erit, iis clarè & proponere & explicare *Notas* veræ Ecclesiæ; eòquod non detur nisì una Ecclesia Christi, non plures; ùt constat ex ipso Apostolorum Symbolo; in quo *in singulari* dicitur NB. *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Principales autem *Notæ* veræ Ecclesiæ sunt hæ quatuor, nempè quòd sit *Una*, *Sancta*, *Catholica*, *Apostolica.* Explico.

Una igitur: *non enim est dissensionis Deus sed pacis.* 1. *Cor.* 14. hæc verò Ecclesiæ *unitas* consistit *imprimis in unitate capitis*, quatenùs omnes in Ecclesia existentes idem agnoscunt caput, tùm invisibile, sive Christum Dei Filium, tùm visibile sive summum Pontificem Christi in terris vicarium. *Deinde in unitate & concordia Doctrinæ* juxta illud Apostoli: *Hebr.* 13. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Et rursum

in

in unitate cultûs divini; & Ritûs Sacramentorum, quatenùs idem apud omnes Sacrificium offeratur, æqualitas in cultu divino obſervetur, eadem Sacramenta cum iisdem Cæremoniis diſpenſentur, eadem ſit fidei profeſſio externa. Et hanc trinam principalem unitatem ſeu uniformitatem in vera Chriſti Eccleſia obſervandam inſinuat Paulus ſic ex inſtinctu Spiritûs Sancti ſcribens: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*, Eph. 4.

Sancta: Sic enim Apoſtolus eam vocat, nimirùm. *Eccleſiam glorioſam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata. Eph. 5.* Dicitur autem Eccleſia præcipuè ex eo *Sancta*: quia Profeſſio ejus & doctrina eſt Sancta, nihil continens contra rectam rationem & bonos mores, annuente ita Davide: *Lex Domini immaculata, convertens animas...... Juſtitia Domini recta*. Pſ. 18. inſuper *Sancta* appellatur, *tùm* per media, quæ à peccatis abducunt, *tùm* per miracula; veram morum ſanctitatem confirmantia, *tùm* quia à viris ſanctiſſimis propagata ſemper fuit, & in ea plurimi eximiæ ſanctitatis viri per cuncta ſemper ſæcula floruerunt & florent.

Catholica id eſt *Univerſalis* per extenſionem ſui ad omnia loca ſaltem ſucceſſivè, utì Chriſtus præſignificavit, dicendo: *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Marci.* 16. & iterum *act.* 1. *eritis mihi teſtes in Jeruſalem & in omni Judæa & ſamaria uſque ad ultimum terræ.* Deinde *Univerſalis* etiam dicitur ratione temporis, quia ſemper durabit ob Chriſti appromiſſionem: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Matt.* 28.

Nec,

Nec, utì dixit : *portæ inferi prævalebunt adversùs eam.* Matt. 16. & consequenter etiam semper manebunt Rectores Ecclesiæ usque ad finem mundi.

Apostolica; *tùm* quia ab Apostolis derivata, *tùm* quia in ea ab Apostolis usque ad moderna tempora deducitur continua successio Apostolorum Romanorum sine interruptione, à quibus alii Episcopi per totum terrarum orbem fuerunt creati & destinati. Quod & nulli *Sectæ* convenit, nec de aliqua dici potest. Et cùm ex his 4. *Notis* pateat Ecclesiam nostram esse veram Christi Ecclesiam, patet & simul, quòd illa vera Ecclesia sit infallibilis in suis Doctrinis, neque errare possit; idque ob infallibilem Christi promissionem; & consequenter cum ea ritè creditur *purgatorium*, *numerus septenarius Sacramentorum*, *Missæ Sacrificium*, & sic discurrendo de cæteris fidei Mysteriis.

Q. 3. Quænam sit norma Hæreticos resipiscentes admittendi, instruendi, eorúmque Confessiones excipiendi?

℞. 1. Eos, qui à Secta Lutheri, Calvini, vel aliâ recedere volunt, antequam ad professionem Fidei, atque ad sacram confessionem admittantur, comprimis sufficienter esse instruendos in necessariis Fidei Catholicæ. Alioquin enim multi fictè accedent ob timorem Magistratûs sæcularis, aliámve causam *v.g.* Matrimonii ineundi, hæreditatem adipiscendi accipiendíque eleemosynas eò largiores, &c. nec diu in fide Catholica permanebunt, sed facilè in suos errores relabentur; unde multa incommoda oriri poterunt.

℞. 2. Dum instrui petunt, excipiendi sunt cum magna benevolentia, cum omni charitate & suavita-

te

teat eo liberiùs, libentùs ac sinceriùs rem suam aperiant. Collaudando insuper mentem sanctam, salutis suæ curam accuratiorem, bonúmve conversionis motivum, & quòd hactenus ex ignorantia potiùs, quàm fortassis ex pertinacia hæresi suæ adhæserint. &c. sunt verò præcipuè instruendi in his, *proùt sequitur.*

1mô ostendendum erit, in quibus principiis conveniant Catholici cum Hæreticis, nempè in doctrinis seu articulis necessitate medii credendis, Baptismo & similibus.

2dò in quibus articulis nostra Catholica fides ab eorum hæresi discrepet; quales plerumque sunt de numero Sacramentorum, de sacrificio Missæ, de justificatione hominis, de cultu Sanctorum, eorúmque imaginibus, & Reliquiis. &c.

3tiò demonstranda est Ecclesiæ Authoritas, & quomodo hæc cum capite suo Regula sit animata, Judéxque infallibilis controversiarum fidei, ita ut ob assistentiam per Christum promissam non possit in rebus fidei diffiniendis errare.

4tò ostendenda probabilitas nostrorum dogmatum, sive ratio, sive authoritas Ecclesiæ, & SS. Patrum, aliorúmque Doctissimorum Virorum, imò & Martyrum spectetur; & quomodo Moderni Sectarii Dogmata illa, quæ etiamnum docent & tenent, solummodò suscitaverint, & jam dudum in primæva Ecclesia damnata fuerint tanquam falsa, erronea, & hæretica.

5tò Eximendæ falsæ opiniones & doctrinæ, quas à suis prædicutiis de ejusmodi nostris articulis seu dogmatibus hauserunt.

6tò Docendum erit, quomodo communio sub una specie

ſpecie ſumenda ſufficiat, & qua de cauſa Eccleſia id juſtò ordinaverit?

7timò Motiva credibilitatis explicentur, qualia pro rudi plebe magìs accommodata ſunt *v. g.* martyria tot ac tanta pro chriſtiana fide tolerata; tot támque docti viri ab Hæreſi ad noſtram fidem transeuntes, tam mirabiles converſiones, tam admiranda miracula in confirmationem fidei noſtræ patrata. &c. & qui Eccleſiam Romanam deſeruerunt, non ob aliam cauſam defecerunt niſi propter libidinem, ſuperbiam, ſtudium aut offenſionem, non propter veritatem; tu ergò propter eorum Exemplum, ortum ex tali cauſa, te ipſum in æternum perdes? abſit.

8tavò Doceat eos modum ritè confitendi quoad numerum, ſpecies & circumſtantias, horrorémque, quô ejuſmodi pœnitentes percuti ſolent, ſtudeat quovis modô illis eximere; unde Examen nimìs rigidum non imperet; nec pro peccatis inquirendis talibus porrigantur longi indices ſive Catalogi peccatorum; ſi verò reſipiſcens nimiùm ſe in tali examine cruciatum ſentiret aut reperiret, ſuaviter monendus eſt, ut potiùs ipſi Confeſſario Examen tale per ſuas quæſtiones ſuppleturo ſincerè reſpondeat; ſic enim & onus Confeſſionis relevabitur, & ipſe modum fructuosè confitendi eâdem operâ addiſcet. *Nunc*

R. 3. Hæreticus reſipiſcens debet abjurare hæreſin ſuam (*prout ordinatur in jure Canonico C. ſi qui voluerint. & C. Saluberrimum. 2. 9. 7.*) & hæc abjuratio communiter fit coram Sacerdote & teſtibus, faciendo publicam profeſſionem fidei. Proùt præſcribitur in *Agenda.* Quâ factâ admittitur ad Sacramentum Pœnitentiæ & Communionis. Poterit etiam

Con-

Confessarius habens potestatem absolvendi ab Hæresi pro suo libitu ejus Confessionem audire ante Professionem fidei. Quid verò circa hanc Confessionem observandum sit Confessario, est, ut peccata ipsius, si quæ multa & gravia confiteatur, rigidâ reprehensione non castiget, pœnitentiam nimis gravem non imponat, ne gravitate tali absterritus Confessionis jugum tanquam importabile existimet. Confessione jam peractâ sub sacro, antequam communicet, emittet fidei Professionem. ***Formula Germanica reperitur infra Pag.*** 7.

Q. 4. Quæ Cautelæ adhibendæ sint à Confessario circa Hæreticorum Conversiones? R. Sequentes præcipuè:

1ma. Ut cum ejusmodi personis agat privatim; quia, si cum iis publicè coram aliis disputetur, sic honoris conservandi studio plurima quærent effugia.

2da. Ut non nimìs credulum se earundem Narrationibus præbeat, sed per varias quæstiones diversis temporibus factas probet, an dicta illarum sibi satìs cohæreant.

3tia. Ut nec magnam sollicitudinnm suscipiat in pecuniis pro ipsarum sustentatione colligendis, aut iisdem ad Varia Officia promovendis; ne occasionem præbeat, ut propter ejusmodi commoda potiùs, quàm veritatis agnitionem ad Catholicorum partes transeant.

4ta. Ut non nimìs familiarem se illis exhibeat, nec in privata Conversatione quidquam aut dicat, aut agat, quod dictum aut factum nollet, dum illæ personæ ad vomitum redirent.

5ta. Ut

5ta Ut nec libros aut alias quascunquè res grandioris pretii iisdem commodet, quia experientiâ compertum est, non semel eas talia vendidisse, aut omninò cum iisdem aufugisse.

6ta Ut etiam non facilè aliis singularibus personis per litteras commendet ejusmodi personas, ne onus earundem juvandarum satis ordinariè molestum ab humeris suis excutere, & in alienos transferre voluisse videatur.

7tima Ut non turbari se patiatur, si fortè ab aliquo tali pœnitente se deceptum advertat, eoquòd ille in hæresin suam denuò relapsus, omnem instructoris sui industriam, laborem & charitatem elusisse videatur; sed potiùs pulcherrimam illam & saluberrimam exhortationem sibi applicet, quâ Deus ipse *S. P. N. Franciscum*, cùm hic ob tam multorum: *ab Ordine suo* deficientium inconstantiam vehementer tristaretur, consolari dignatus est, dum dixit eidem: *Quid turbaris, Francisce? aut quid angeris, cùm tuorum quispiam Ordinem deserit, aut scandalum creat? an fortè existimas, te ita Gregis tui Rectorem, ut non intelligas, me superiorem esse ejus Rectorem? quis plantavit, nisi ego? aut quis præter me homines ad pœnitentiam vocat, & vocatis perseverandi vires suppeditat? Ego eos Perduxi, ego retinebo & servabo, ego illîs cadentibûs alios erigam. Quamobrem hoc tibi præcipio, ut imposterùm adeò te non excrucies, sed scias, hanc à me familiam diligi, & si unus ad vomitum redeat, me in ejus locum alium suscitaturum, qui illius coronam accipiat, & is, qui nondum natus fuerit, efficiam, ut nascatur. Quòd si tres tantùm in ea permanserint, eos nunquam deseram, sed erit semper hæc mea familia.*

§. 5.

DE SAGIS ET VENEFICIS,

De maleficii ex parte ipsorum destructione, Confessione, Examine, obligatione.

Q. 1. Cur plures fœminæ quàm viri cum Diabolo paciscantur, & maleficia discant?

R. Causa ea esse videtur; quia mulieres ob defectum judicii & experientiæ citiùs credunt, & faciliùs decipiuntur quàm viri: sunt magìs curiosæ, & rerum novarum appetentes; ad libidinem & luxum proniores; magìs pusillanimes, atque infirmæ, ùt animæ mœstitiam, aut rancorem ægrè nimis ferentes, faciliùs quodvis, quantumvis impium Dæmonis solatium auxiliúmque admittant. *Laym. l. 3. de justif. Tract. 6. p. 3. c. 5. unicus de Sagis.*

Q. 2. An, quando constat jam positum esse maleficium, licitum sit illud tollere per aliud maleficium? ut, si puer maleficio infectus sit, possit parens accedere maleficum pro remedio maleficii? ad hanc quæstionem, quæ gravis est,

R. Cum distinctione. *Primò*, licitum est tollere maleficium per destructionem signorum, quæ alicubi posita sunt, ut Dæmon alicui noceat, modò ad hæc destruenda novum maleficium non adhibeatur. *Ita Navarr. ac plures alii.*

R. 2*dò*. Si maleficus possit aliquo modo licito maleficium tollere, non est peccatum eum prece, aut etiam minìs inducere, ut maleficium auferat, etiamsi credatur ex sua malitia per novum maleficium id facturus. Quia, cum supponatur posse viâ licitâ id præstare, habeo gravem & justam causam id postulandi;

landi; ipsius autem malitiæ imputandum est, si modô illicitô maleficium auferat: sicut licitum est ex gravi vel justa causâ petere mutuum ab usurario, etsi sciam illum usuras illicitè exacturum, cùm potuerit mutuum licitò modô concedere. *Lugo, Diana, Lessius, Sanchez. &c.*

℞. *Tertiò.* Non solùm licitum erit petere à Mago, verùm etiam illum Minîs & levibûs verberibûs cogere, ut maleficium tollat, quandocúnque probabiliter credo illum sine maleficio, modo aliquo licito id facere posse, sive quandocunque non sum moraliter certus, quòd utetur modo illicito. *Est sententia communis apud Martinum Delrio pag.* 941. & ratio est, quia hoc est uti Jure meo, inducere magum ad id, quod facere tenetur, & sine peccato, si velit, potest facere, non autem est consentire pacto, quod Dæmon habet cum Mago. *Dixi: levibus verberibus,* quia gravia vulnera vel immodicos cruciatus inferre, id ad judicem sceleris vindicem, non ad privatos pertinet. Levia non erunt, si maleficæ inde immineat periculum vitæ, mutilationis, aut gravis morbi.

℞. *4tò.* Si Saga modum curandi edicere nolit, præsumendum est de medio magico & superstitioso, quo non præsumpto ad maleficii dissolutionem sicuti tenetur, sic & non tantùm potest, sed cogi debet. Secùs, si opus sit novo maleficio, quale censetur esse, si morbus vel febris ab homine transferatur in canem, Cattum vel alium hominem; aut si pro recuperando butyro vel lacte magicè subtracto, lac coquatur ad ignem dolore tam diu in Sagam translato, usque dum maleficium tollat; aut si speculum magicum inspiciatur ad dignoscendum furem, adulterum, &c.

℞. *5tò.* Ad maleficii destructionem licitè removentur

ventur signa Magica, sive per Magum ipsum, sive per quemvis alium. *v.g.* Si Dæmon homines, vel animalia intoxicavit ad positionem ollæ plenæ intextis capillis, ossibus, Muribus, serpentibus. &c. Sic etiam licitè removetur conditio, sine qua non persistit vel perdurat maleficium *v. g.* Solet Diabolus cum Mago vel Saga pacisci; inficiam, quem incantaveris, insufflaveris &c. nisi mox ipse se cruce signet, aquâ lavet, te repercutiat, vel eo die pultem comedat, licitum erit, tunc se cruce signare, lavare, repercutere, pultem comedere; quia hoc non est signum magicum ponere, sed impedire per medium de se non malum. Hac ratione judices jubent Magos exui, radi, lavari, ne ad tormenta insensibiles aut planè muti reddantur.

℞. *6tò.* Nunquam licitum est efficere, ut maleficium novô maleficiô tollatur. Quia hoc esset directè inducere in peccatum, & actum intrinsecè malum: Scripturâ etiam apertè prohibente; ***non declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini: Levit.*** 19. Unde admonendi sunt Rustici & Rusticellæ, ne ad curandum pecus suum infectum adhibeant malorum hominum incantationes aut Benedictiones. Et si adhibuerint, quærendi sunt, quales fuerint? Si nomina ignota, vel verba falsa, aut apocrypha, aut certus numerus, horæ, & similia. &c. plerùmque ùt inepta, & vanam observationem olentia sunt reprobanda. Licitum tamen erit homines quærere, utrùm naturali & licito medio maleficium hoc tollere possint? & si affirment, eorum operâ uti, præsertim si evidenter constaret hujusmodi media licita & naturalia esse. Verùm ordinariè idipsum suadendum non est ob periculum novi maleficii, quô pri-

primum dissolvere solent; sed potiùs, ut recurrant ad media spiritualia, aut certè corporalia usitata confugiant, fiduciam nimirùm ponendo in Deo, & Sanctis, aut aliis mediis licitis tàm cœlestibus quàm terrestribus. Raro enim Deus suam benedictionem impertit iis, qui sepositâ in ipsum fiduciâ humanam opem, & media illicitis modis conquirunt.

Q. 3. Quid faciendum sit cum illis magicis instrumentis?

℟. Hujus impiæ artis quæcunque reperta, comburantur in igne sic benedicto.

BENEDICTIO IGNIS

Quo cremabuntur signa malefica inventa.

℣. Adjutorium. &c. ℣. Dominus vobiscum. &c.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale & igneum esse cognoscitur, dignare respicere, bene†dicere & sanctificare hanc creaturam ignis, ut eo combustîs maleficii signîs, omnes languores, omnésque infirmitates atque insidiæ inimici effugiant & separentur à plasmate tuo. Nunquam lædatur à morsu antiqui serpentis, quod pretioso sanguine filii tui redemisti. Qui tecum vivit & regnat. &c. Amen. *Aspergatur.*

Q. 4. Quomodo se geret Confessarius cum Saga, dum ultrò ad confessionem accedit?

℟. Sagas ad veram pœnitentiam convertere quidem difficile est, sed non impossibile: quapropter confessarius omnem, quam potest, adhibeat operam, ut agnoscere incipiant hostis infensissimi mendacia,

dacia, fraudes, & falsa promissa, *dein*, ut abjuratô Diabolô fidem & spem in Deum concipiant, qui peccatores omnes ad se invitat, & reverti volentes recipit: Eximenda enim ipsis est persuasio, quam multæ habere solent propter pactum initum, à Dæmone liberari non posse. Pro qua liberatione ùt plurimùm valent ad vim dæmonis propulsandam *v.g. frequens oratio, reiterata fidei professio, crebra recitatio symboli Apostolici, Litaniarum de omnibus SS. Sanctissimi Nominis Jesu.* Item *signum S. Crucis, sacra imagines, Reliquiæ Sanctorum, aqua benedicta. &c.*

R. 2. Confessarius *Saga* ad se venienti proponat hæc duo. 1*mò*. Periculum animæ, in quo versatur, nisì ritè confiteatur. 2*dò*. Obligationem sigilli sacramentalis, quod ita ligat, ut confessario mors potiùs sit perferenda, quàm peccatum quodcunque pœnitentis directè vel indirectè manifestare; adeóque quæ peccata in confessione fassa fuerit, acsi nulli hominum dicta fuissent, sibi certò persuadeat. Quodsi nunc ejusmodi persona ad confessionem permota fuerit, disquirenda erunt sequentia:

PRAXIS EXAMINANDI SAGAS.

1. Quærendum est, an abnegaverint Deum, quoties, quibus verbis & Cæremoniis? num etiam Diabolum adoraverint? en Dæmonolatriam, crimen inter cætera capitalissimum.

2. Utrùm ex animo fidem & Christianismum abjurârint? quia esset Apostasia cum excommunicatione, si signis maximè externis expresserint. Et si simul quid crediderint contra fidem; tunc est hæresis. Unde Professio fidei denuò facienda est.

3. An iniêrint pactum cum Dæmone? si ita, rescindendum est, non solùm verbis sed etiam factis, juréntque se nullum deinceps commercium ampliùs cum ipso habituras.

4. Quem in finem se Dæmoni devoverint? an vg. propter

voluptates, opes, famam ſanctitatis, aut dignitatem quampiam obtinendam id fecerint? conſtat enim experientiâ, pleroſque Veneficos aliquo ex his finibus impulſos eſſe ad ejuſmodi ſcelus perpetrandum.

5 Quæ falſa de Deo & æternitate ſenſerint, Deô, cunctiſque Sanctìs jam abnegatis. Qualibúsve conviciis, blasphemiis, turpibúſque verbis Deum, Sanctorum ac B. V. Mariæ patrocinium affecerint?

6. Num rebus ſacris abuſæ? an aquam benedictam, Oleum ſacrum, Agnum Dei, verba conſecrationis, Euchariſtiam, Miſſam Dæmoni accommodaverint? an Euchariſtiâ præ aliis uſæ fuerint ad Veneficia, & Sanctorum Reliquiis in uſûm magicum &c. Et ſi Euchariſtiam aut Reliquias ſacras alicubi pro malo & ſuperſtitioſo uſu reconditas habeant; idipſum indicent, ut auferri & religioſè aſſervari queant.

7. An & quoties Confeſſio & communio ſacrilegè facta? an renuntiaverint baptiſmo, Chriſma ungue abraſerint, aut characterem baptismalem, quantum in ipſis fuit, deleverint? Sacramenta talia innovaverint? an corpori & cui corporis parti ſtigma & characterem ſuum impreſſerint? quid & quot annis Magiſtello ſuo pendere debuerint, ad hoc enim ſingulæ tenentur.

8. An in deteſtabili ſodomiæ, beſtialitatis & adulterii ſpurcitie, ac continuato quaſi concubinatu cum Dæmonibus incubis & ſuccubis conjugatæ vixerint? ſícque non tantùm contra ſexum & extra ſpeciem, ſed etiam extra genus peccaverint, quod deteſtabilius eſt & omnium carnalium peccatorum peſſimum.

9. Num hominibus nocuerint in bonis fortunæ, corporis & animæ vg. Dæmonis ope auferendo pecunias, greges & armenta peremerint; & quô modô? ſpargendo pulverem à Dæmone acceptum vel aliquid aliud, unde erucæ, bruchi, locuſtæ, limaces & id genus peſtes agrorum & hortorum enatæ, unde beſtiæ & homines mortui. &c. Maleficiô quodam corporis membra debilitando, aut veneno occidendo, quem & qualem perſonam vg. maritum, parentes liberos, clericos, religioſos, idque propter alia peccata annexa & cenſuram Excommunicationis. &c. Aut demum infantem ante baptiſmum interimendo, aut falsò baptizando; tenebuntur enim ad damna, aliis per Maleficia illata, quantum fieri ſine graviore damno

potest, resarcienda, maximè si quos falsò baptizâssent, aut tali modo baptizari curâssent.

10, An ad Conventus iverint, tam Nocturnos quàm diurnos, & quomodo eo pervenerint, & quid ibidem fecerint? an lycanthropiam exercuerint, & quam illam?

11. Utrùm alios seduxerint, Dæmoni mancipando, & quot? & an hi in tali crimine persistant? quia tenentur illos ad viam veritatis reducere, aut si converti nolint, Magistratui deferre, *sicuti lego apud Martinum Del-rio C. 6. disquis. C. 1. sect. 3. §. quoad interrogatoria.* Quâ tamen denuntiandi obligatione non adstringentur, si exinde probabile periculum immineat in suspicionem, atque capturam veniendi.

12. Num alias innocentes infamaverint, falsò eas quà Sagas deferendo, ex invidia denuntiando, quia tenentur ad restitutionem famæ; & si hoc modo odia simul & inimicitias graves inter varias personas procurârint, tollere & componere.

13. Num per amuleta magica quosdam reddiderint invulnerabiles? philtra dederint amatoria, aliisve vetitis remediis impuros amores conciliaverint? cuncta tenentur tollere, dum licitè possunt, sicuti tenentur quævis alia magica instrumenta à se rejicere, comburere, occasionésque, si inter maleficos habitent, deserere. &c. Et an nunc Diabolum ex animo detestentur & omnia ejus opera.

NB. Plura alia & his horribiliora agunt ejusmodi inferni propolæ in suis Nocturnis conventiculis, quæ calamus horret. Confessarius interim totis nisibus allaboret similes lamias disponere ad seriam actuum suorum Confessionem, & benè advertere, num etiam constantes permaneant in suorum peccatorum enarratione? si mox priora tàm facilè retractent, signum est difficultatis maximæ:

Et quia Deum & Sanctos abjurârunt, non est in Cœlis, qui assistat illis contra insultus Dæmonum. Hinc quasi impossibile est, ut convertantur, nisì fortè Deus specialissimâ suâ gratiâ assistat: nam cùm subjaceant obedientiæ Diaboli, cui se ùt mancipia spontè dederunt, se ipsas vix juvare possunt; habent enim quosdam Diabolos vel ex pacto, vel aliàs intus in corde suo existentes, qui ipsos miseros homines regunt & arctant ad obedientiam suam, utuntúrque eorum membris intus & extra pro suo libitu, habéntque plenariam potestatem super illos, licèt supremum Dominium sibi reservet Deus.

Q. 4. An Magæ incarceratæ nocere & à Dæmone eripi valeant?

Reſponderi poteſt, quod non: *tùm* quia Diabolus mavult illas in ſua Poſſeſſione mori, adeóque illas in judicum ſæpe manus ipſe tradit, aut è carcere animâ & corpore ad infernum abripit, ùt factum hìc Coloniæ obſtetrici, plurimos infantes Diabolo immolanti. *Tùm* quia Deus non permittit Dæmones exercere potentiam ſuam, ne id fiat in ſcandalum ipſorum judicum, & Dei ignominiam. Videretur enim plus poſſe diabolus in ſuis miniſtris ſtrigibus, quàm Deus in ſuis, qui ſunt judices, quibus tamen à Deo juſſum eſt: *Maleficos non patiêris vivere. Exod.* 22. adeòque divinæ etiam congruum videtur providentiæ & iuſtitiæ, ut ſuis juſtitiæ Miniſtris nocere non valeant. De hoc tamen nullum extat diploma certum, evidentiſſimum autem, non paucis acciſſe, ut à Dæmone ita exciperentur & impeterentur, ut non exiguum nocumentum in ipſa etiam executione; imò aliquando necem haud evaſerint. Unde hoc incolumitatis privilegium judicum potiùs adſcribendum erit probitati, aut eorundem pietati, fidei firmitati, ac juſtitiæ Zelo. Eccur Sacerdotes Sagas in carcere detentas accedere ſibi timerent, cum ſint pii, caſti, labéque peccatorum non infecti.?

Q. 5. Quid faciendum, ſi Dæmon à Mago obtinuerit Chirographum aut Sacram Euchariſtiam?

R. Quodvis pactum, quomodocunque cum Dæmone initum diſſolvi quidem per Sacramentum pœnitentiæ, ſinceràmque cordis ad Deum Converſionem unde eorum receptio abſolutè neceſſaria non eſt. Dæmon autem, ut extradat compellendus eſt Seqq. Exorciſmis.

Exor-

EXORCISMUS.

Ad Compellendum Dæmonem, ut restituat Chirographum, quô homo se illi obligavit.

Oratio.

CLementissime Deus, cujus potentiæ non est finis, qui in omnes creaturas tuas, & res earum supremum habes sempérque retines Dominium, ita ut nihil sit, quod tuo etiam per Apostasiam eximi possit imperio; peccavimus in te, tuámque provocavimus justissimam iracundiam, quando tuis mandatis non obedivimus; atque tunc maximé, quando ab amicitia tua & Dominio fugientes te abnegavimus, & impiorum Dæmonum consortio nos adjunximus: Dæmonibus obligavimus & Chirographum illud voluntariæ obligationis contra te illi tradidimus asservandum. Verùm Clementissime Domine, quia misericordiæ quoque tuæ non est numerus, & tibi proprium est misereri semper & parcere; hæc tua creatura, quæ te abnegato se Dæmonibus traditô Chirographô obligavit, in se infinitâ tuâ bonitate reversa, suam detestatur impietatem, & timore tuo compuncta, abnegatô rursus Dæmone, tibi vero suo Domino subdi, atque in gratiam tuam recipi contrito corde desiderat. Scimus, Domine, te cor contritum & humiliatum nunquam despicere, neque Chirographum illud misericordiæ tuæ ullum impedimentum ponere posse, ideóque supplices te deprecamur, ut abundantiâ pietatis tuæ non tantùm hujus peccati impietatem per Sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi remittas, sed & Dæmonem ad restituendum Chirographum obligationis & traditionis illius verbô

virtutis tuæ compellas : ne de ſua Tyrannide glorie-tur, ne jus aliquod prætendat in hominem, quem per Filium tuum peccatorum ſuorum vinculis abſolvi deprecamur. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum. &c.

Exorciſmus.

EXorcizo te, impie Sathan, qui, cum tuo excideris principatu, tyrannicum in homines ſemper affectas imperium. Exorcizo te per Jeſum Chriſtum, qui venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, ut ab hac creatura, quæ tuis fraudibus decepta ſe tibi tradidit, omne tuum imperium feſtinus amoveas. Ex hoc enim rurſus te deſerens, divinæ miſericordiæ ſe committit, ut ei ſerviat, cui ſe totam debet, quique ſervientibus ſibi æternæ vitæ mercedem promiſit. Exorcizo te per pretioſum Sanguinem Jeſu Chriſti, quô deletum eſt Chirographum decreti quod erat nobis contrarium, ita ut ſuſcipiente Jeſu peccatorem in gratiam ſuam, adverſùs eum nihil ampliùs debeas præſumere, ut Chirographum, quo hæc creatura ſe tibi obligavit, cùm per Sanguinem Chriſti abolitum ſit, hìc reſtituere non morêris.

Audi maledicte Sathan, Dei ſervus nullam habet poteſtatem, ut invitô Dominô ſuô alterius ſe ſubjiciat ſervituti : unde tu fruſtra in vano iſto gloriaris Chirographo ; ac proinde in nomine Domini tibi præcipio, ut illud reſtituas, nec penes te ſerves : ut omnibus conſtet, Deô peccatorem in gratiam recipiente nullum tibi in animam ejus reſtare imperium.

Adjuro te per eum, qui te, cùm in atrio tuo tanquam fortis armatus gloriareris, eáque, quæ poſſidebas, in pace tenere præſumeres, infinitis partibus fortior

tior superveniens vicit, & atrio te ejecit, tuáque arma, in quibus vanè confidebas, abstulit, & spolia distribuit. Redde igitur nunc Chirographum, quo hæc Dei creatura stultè se ipsam tibi tradidit in servitutem: redde, inquam, in nomine ejus, à quo es devictus: & cúm tuam tyrannicam potestatem justè amiseris, non præsumas illius vanum Chirographum diutiùs retinere. Jam enim per pœnitentiam hæc Dei creatura vero suo Domino se restituit, & tyrannidem tuam spernit, atque in Dei misericordia adversùs tuas impugnationes sperat invenire protectionem, adjuvante Sanctissimâ & gloriosissimâ Virgine Dei genitrice Mariâ, cujus intercessione, quod per se consequi dignata non est, à filio ejus Jesu Christo obtineat. Per eundem Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. ℟. Amen.

EXORCISMUS

Ad Compellendum Dæmonem, ut traditam sibi ab homine Eucharistiam restituat.

Oratio.

DOmine Deus omnipotens, qui filium tuum, ut assumptæ carnis œconomiam impleret, in deserto tentari à Diabolo, & supra pinnaculum templi statui, atque in montem excelsum transferri voluisti; rogamus immensam clementiam tuam, ut Diaboli temeritate, quâ Sacramentum Eucharistiæ, in quo idem Filius tuus corporaliter præsens est, auferre præsumpsit, coercitâ, eum per sanctos Angelos tuos ad illud restituendum in locum per nos designatum compellas. Per eundem Dom. N. J. C. Filium tuum, qui tecum vivit. &c.

Ore-

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui sub speciebus panis & vini Sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum sic instituisti, ut, quamvis eo sacrum Corpus & sanguis tuus pretiosus substantialiter contineatur, omnia tamen circa illud admitti possent, quibus ratione specierum visibilium panis & vinum in se sunt obnoxia: supplices te rogamus, ut dimissâ iniquitate, quâ hic sacrilegis manibus idem sacramentum Dæmoni tradere asportandum veritus non est, verbo virtutis Dæmonem ad illud in loco ad hoc præparato restituendum compellere digneris; ut servi tui, qui de tanti sacramenti injuria contristantur, ad nominis tui gloriam de ejusdem restitutione lætentur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus S. Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

ADjuro te, nequissime Spiritus, quò hominem, ut tuæ captivitatis vinculis tenaciùs innodares, eò dementiæ induxisti, ut sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum tibi tradere non sit veritus, quod & tu suscipere, & quò à Deo permissus es, asportare præsumpsisti. Adjuro te per illud ipsum sacramentum, coram quo te contremiscere necesse est; ut sicut illud ab homine traditum suscepisti, ita ad locum à nobis designatum restituere non morêris.

Adjuro te per sacratissimum corpus & sanguinem Christi, quæ in hoc sacramento verè & realiter contineri certissimâ fide credimus, ut, cùm tu sacramentum illud adorare, & debitum illi honorem impendere non possis, nec velis; ad locum istum continuò

illud

illud restituas, ab hominibus, prout oportet, colendum, atque adorandum.

Adjuro te per Jesum Christum Regem Regum & Judicem vivorum & mortuorum, qui sanctum Eucharistiæ sacramentum non dæmonibus, sed nobis hominibus in spiritualem cibum potúmque reliquit, ut fractâ contumaciâ tuâ, virgæ ejus ferreæ subjectum te vel invitus agnoscas, & horrore cruciatûs æterni, quem talibus tibi factis accumulas, evestigiò SSm. illud sacramentum, quod asportare non es veritus, loco à nobis designato sine aliqua læsione aut perturbatione restituas, ut, cum illius perceptione indignus sis, ab homine, qui per illud veram vitam consequatur juxta Christi promissionem, sumi possit.

Nec te lateat, Sathana, nullam tibi per hoc facinus occasionem dari gloriandi contra Christum, quasi in corpus illius habeas potestatem. Species tantùm sunt, quas impiâ hominis fretus voluntate movere potuisti; in ipsum verò Christi corpus nihil potes, sed ante illud, etiam cùm species movere præsumis, horrescere cogeris & contremiscere.

Quid ergo moraris? in nomine Jesu Christi tibi mandamus, ut sacramentum, quod impiè transtulisti, huc restituas, & Dei ac judicis tui timore compulsus, hac ipsâ restitutione confitearis, nihil te contra hoc sacramentum posse, sed sacrilegi duntaxat hominis fuisse ministrum.

§. 6.

DE INCARCERATIS, EORUM CONSOLAMINE, *Instructione, Confessione & Eductione usque ad locum supplicii.*

Q. 1. Quid incarceratos invisenti primùm incumbat?

℞. Præ

℞. Præ cæteris studeat ejus, qui in carcere detinetur, animum demereri idoneo commiserationis affectu: sumus enim naturâ ita comparati, ut homo ab homine consolari desideret. Afflicto igitur condole! dolentem verò consolaberis, bona si dederis verba, vultúmque præbueris dolori concordantem. Lenimento etiam erit aliorum casûs humani, fortunæque inconstantia, quæ eodem nescit vadere passu; veruntamen ad melius consilium, divina præsertim, & nostrî justam pro demeritis pœnam animus est revocandus.

Q. 2. An Judex justè capiat Criminosum?

℞. Imò justissimè: ex Dei namque ordinatione punit peccata, quorum nullum etiam divina impunitum permittit justitia vel hìc vel in altera vita puniendum. *Deinde* certum est, quòd bonis noceat, quisquis pepercerit malis (*ait Seneca de morib.*) & vitia ad posteros transmittit, qui præsentibus culpis ignoscit. Unde captivo, dum ad cor redit, dolori nequit esse captura ob suum crimen subsecuta; prout etiam innuere vult *S. Greg. l.* 10. *moral. c.* 5. per hæc sua verba: *Dolor flagelli temperatur, cùm culpa cognoscitur, quia tantò quisque ferramentum Medici patientiùs tolerat, quantò magìs putridum esse conspicit, quod secat.*

Q. 3. An captura ab ipso capto agnoscenda sit velutì Dei beneficium?

℞. Esse, & quidem magnum divinæ bonitatis beneficium: potuit enim te Deus reliquisse in via perditionis, sícque & culpam & pœnam tibi auxisses, imò in continenti te pœnis æternis adjudicâsse; unde benè dixeris: *Misericordia Domini, quia non sumus consump-*

sumpti. Thren. 3. En solamen tibi magnum! carcer itaque moderans schola est pœnitentiæ & virtutum multarum; SS. Martyribus fuit in honorem propter innocentiam, tibi ex Dei clementia in salutis præsidium. *Nolo mortem impii sed ut convertatur impius à via sua & vivat. Ezech.* 33.

Q. 4. Quid agendum circa incarceratorum instructiones?

R. Admonendi sunt *imprimis*, ut non sint otiosi, sed semper, ne tristibus & nocuis cogitationibus, tentationibúsque aperiatur aditus, occupati: *tùm* orando, *tùm* legendo in libro spirituali, *tùm* meditando novissima hominis, *tùm* Sanctorum patròcinia implorando. &c. *Dèinde* ut se submittant justitiæ, & quia Confessio nondum permittitur, ut viâ contritionis perfectæ saltem conentur recuperare statum gratiæ, sic enim omne, quod faciunt aut tolerant, reddent sibi fructuosum, deúmque ad parcendum eò citiùs permovebunt. *Demum* ut inter flagella, quæ patiuntur, delicta, quæ fecerunt, ad memoriam revocent proponentes sibi per ea, quæ sustinent, Deo pro iis satisfacere. *Denique* ut cuncta à Deo immissa æquô animô acceptent juxta illud: *Patientia interim necessaria est. Hebr.* 10. Necessitatis enim non est aliud effugium, quàm velle, quod ipsa cogit. Felix necessitas, quæ ad meliora cogit. Hinc *Quod meritò pateris, patienter ferre memento!*

Q. 5. Quandonam sit ejus, qui extremô suppliciô afficiendus est, confessio audienda?

R. Ante judiciale Examen non esse ob periculum silendi illa crimina, propter quorum suspicionem potissimùm in carcere detinetur; quod consilium maximè

imè verificatum iri probat ipsa experientia de Sagis, quæ spe liberationis consequendæ plerumque innocentiam suam tunc prædicare solent; ideòque vix adigi possunt, ut crimen confiteantur, eòquod sibi timeant à delatione. Unde Confessarii, quod valdè laudabile est, ad Reos non vocantur nec admittantur, priusquam, omni examine expedito, noxii judicati sint. Non oberit tamen, si ejusmodi personæ, per Confessarium prudentem, etiam ante Examen judiciarium disponerentur ad præparationem Confessionis generalis postea faciendæ, & ad resignationem in divinam voluntatem.

Q. 6. Quæ cautelæ sint adhibendæ circa facinorosorum confessionem?

℟. Sequentes: 1. ut non recipiat in se vitæ servandæ patrocinium, aut supplicii remittendi, quia sic Reum non posset tàm commodè disponere ob ejusmodi spem, quâ si caderet, confessarium suspectum habebit; & sic languesceret captivi erga se confessarium confidentia, promptè resciat se excusare ob impotentiam: nam (*uti ait Cassiodorus in Psal.*) ***Justitia non novit Patrem, aut Matrem, non novit Sacerdotem, personam non accipit, Deum imitatur, qui non est personarum acceptor. Act.*** 10. Poterit tamen in genere promittere, se nihil omissurum in bonum, reúmque interim Deo commendare adnitatur.

2. Ut coram Reo non reprehendat Judiciorum procedendi modum, ne ansam det impatientiæ, sed excuset judicis moram, quantum potest.

3. Ne tàm facilè admittat Rei querimonias, præsertim à **Sagis** plerumque mendacibus, cùm confes-

sarii

ſarii non ſit talia judicare ſed ſolùm ad veram pœnitentiam animare.

4. Ut neque fugam ſuadeat, quantumvis ea licita ſit Reo ob privilegium juris naturæ: in Confeſſarium tamen non cadat cooperari, ne ea de cauſa Sacerdotibus prohiberetur deinceps tàm liberè agere cum Reis.

5. Captivus non importunè cogatur, ut ſe reum fateatur, ſed expedit id à ſe ſponte fieri; nec urgendus eſt ad illa coram judice confitenda, quæ crimina antea negavit.

6. Ut neque abſolutionem neget Reo, neque ad revocationem cogat, ſi ob timorem graviſſimorum tormentorum, quæ ei judices minati ſunt, falſum ſibi crimen impoſuerit, propter quod ad mortem damnatus ſit; quia, licèt abſolutè loquendo, verior ſit ſententia *Navarri & aliorum negantium*, id licitè poſſe facere Reum; affirmativam tamen probabiliter docent *layman & complures alii*, eòquod vita non ſit digna, quæ cum tanto dolore ſervetur aut redimi debeat.

7. Si Reus in Confeſſione neget, quod faſſus eſt in judicio; abſolvendus quidem foret; non tamen conſultum videretur Rei deprehenſam innocentiam de ejus licentia judici aperire, aut pro ipſo Reo intercedere; tum quia id communiter crediturus non eſt, utpotè ſecundùm allegata & probata procedens: tum quia hoc auditô alii Rei eò audaciùs tenaciùſque ſua crimina celarent. Perſuadendum igitur eſt Reo, ut innocentiam ſuam Deo offerat, & ſi quidem mori debuerit, pro aliis peccatis ſuis lubens moriatur in eò majorem pro his ſatisfactionem meritoriam.

8. Ut Confeſſarius vices ſuas eò prudentiùs obire queat, expedit, eum utcunque cognita habere, quæ

in judicio acta fuerunt: quæ indicia, quæ probationes, quæ testimonia. &c. Idque maximè quoad *Sagas* ob earum inconstantiam, ut, si quid negent, refelli possint & convinci iisdem argumentis, quibus convictæ in judicio fassæ sunt.

9. Si quæ restitutio ex parte Rei facienda, eam in se non suscipiat Confessarius ob periculum violandi sigillum aliáve incommoda inde tam facilè exoriri solita, fiat talis per alios.

10. Mors Reo indicanda est per Justitiæ Ministros, & non à Confessario, cujus solùm est disponere. Si verò Reus ob sententiæ acerbitatem conquereretur, dicendo: cur alii enormiùs se peccantes non puniantur? respondeat Confessarius: illis, qui plùs peccaverunt, Deum fortè parcere, sed in malum eorum, cum iis reservet judicium ultionis æternæ. Tu cogita! *amice non facio tibi injuriam. Matt.* 20. aut cum justo Disma:... *& nos quidem justè, nam digna factis recipimus. Luca.* 23.

11. Si Reus confessionem renuat ob temporis brevitatem, suggerat Dei gratiam tempori non esse alligatam, sed in hoc momento adesse, & misericordiam obtineri posse. Quòd si dicat, se vitam multò efficaciùs Emendaturum, si ea prorogaretur aut condonaretur &c. fare: voluntatem hanc Deo quidem placere; at quis novit te huic promissioni certò staturum, nisì solus Deus? En! opportunius tempus moriendi non est, quàm quod nunc Deus tibi constituit.

12. Quòd si postremùm Reus nullô modô confiteri vellet, & omninò pertinax aut desperabundus esse videretur; hìc repetenda sunt ea, quæ suprà *de ægro obstinato pag.* 303. Confessarius tamen non intermittat

termittat acclamare in illo momento; quô talis Reus laqueum aut ictum fatalem excepturus est; quia posset tunc adhuc piis suspiriis commotus ingemiscere, & à Deo non desertus fortè resipiscere.

Q. 7. An Criminosus obligandus sit ad confessionem generalem?

℞. Eam nunc vel maximè necessariam fore, non tàm ad discernendum alia totius vitæ crimina, quàm quoad ea præcipuè, quæ judici adhuc occulta, aut antehac non ritè confessa aut penitùs omissa fuère. Advertat autem confessarius, annon ex peccatis, quæ Reus confitetur, alia plura eruenda sint? qualia certò sublatitarent, si Reus de Magia suspectus aut reipsâ Dæmoniacus reperiretur. Unde examinandus esset *juxta praxin pag. 325.* Cæteroquin Rei solùm examinandi forent de furtorum qualitate, rapina, abigeatu, peculatu. &c. de 7. peccatis capitalibus, maximè de luxuriei speciebus, adulterio, stupro, incestu. &c. de latrociniis, incendiis, conspirationibus in damnum proximi, aut Reipublicæ. &c. de odiis, blasphemiis, execrationibus, mortis insidiis. &c. in cunctis studeat prudens confessarius consulere integritati ac valori confessionis, reóque providè prospicere de animæ salute, sícque in hoc ultimo vitæ termino, à quo pendet æternitas, de morte beatâ.

Q. 8. Qualis pœnitentia imponenda sit ad mortem damnato?

℞. Plerumque levissima, quæ statim adimpleri possit. Non oberit tamen, si ipsa etiam mors, utpote ob difficultatem valdè satisfactoria simul ei pro pœnitentia imponeretur, ut per generosam mortis tolerantiam tantò copiosiùs pro delictis suis, satisfaciat.

Q. 9. Quæ observanda sint circa Reum post mortis indictionem? ℞. Sequentia:

1. Admonendus est Reus, ut se totum in Dei voluntatem dejiciat, ìnque voluntatis suæ resignatione constans persistat, firmissimè tamen sperans, se non moriturum *morte secundâ.*

2. Et si fortassè ob infamiæ horrorem perterreretur, animus ipsiusmet perterriti erigendus est ab aspectu Jesu crucifixi, qui multò ignominiosiora pro nobis passus est, per infamiam suam à nobis auferens opprobrium sempiternum:

3. Reus jam ritè confessus & SS. Corpore Domini refectus, à Deo instanter precetur gratiam, fortitudinem, patientiam, & finalem in bono perseverantiam. &c.

4. Præter confessarium, ejúsque socium non expedit plures cum ipso conversari; hi verò de nulla alia re loquantur, nisì quæ ad salutem pertinet, omnem sermonem de Amicis, Parentibus, &c. præscindentes.

5. Pridie supplicii nocte, quia Reus ex mortis terrore vix somnum capiet, necesse erit ei fideliter assistere, ut nox tota piis precibus traducatur.

6. Reus nocte ista indormiens non est excitandus à somno suo; imò admonendus est potiùs, ut dormiat, ne insomnis se nimiùm fatiget. Nunquam tamen, dum dormit, relinquendus est solus, sed semper adsit, qui, si necesse fuerit, consolari queat; quia tunc magìs accrescunt tentationes, animíque desolationes ob imminentis mortis memoriam.

7. Illucescente fatali die, prima cura sit, ut formatô S. Crucis signô, Deóque in vota invocatô, dies illa intentione optimâ uniatur diei illi, quô Chri-

Christus passus est: detur opera pro lucro indulgentiarum, pro felici morte obtinenda per Sanctorum implorata auxilia, B. Mariæ V. præsertim intercessionem, aliorúmve morientium Patronorum, patrocinia. Solatio etiam erit, si Reo indicetur, hunc in finem jam litatum Deo, pro anima verò denuò litandum. Spondeat quoque Sacerdos, se rogaturum plurium, maximè verò spectatorum preces & orationes, præter Missæ sacrificia, qualia finaliter assecuret, se à populo in animæ solatium petiturum.

Q. 10. Quid Reo incumbat, dum ei judice præsente ultima mortis sententia prælegitur?

℞. Nil, nisì ut eam tanquam à Deo in se decretam benignè acceptet, gratias insimul agendo pro justitia ritè administrata.

Q. 11. Quid observandum sit in ipsa Eductione Rei?

℞. *Ex parte Confessarii* cavendum est, ne quidquam ad festinationem mortis faciat, præeundo aut impellendo Reum, ut properet ad locum supplicii; multò minùs jubeat ipsum citiùs pergere, quia posset incurrere irregularitatem accelerando mortem. *Deinde* ne Reus se nimio potu incapacem reddat ad feliciter moriendum. *Ex parte verò ipsiusmet Rei* ad mortem tendentis summoperè curandum est, ne oculis huc illuc vagetur salutando suos. &c. Sed totis viribus in unam animæ salutem incumbat. In via recitet Sacerdos cum Reo Rosarium vel Litanias Lauretanas, omnium Sanctorum, de Passione Domini, Psalmos pœnitentiales aut alias preces & semper captivus respondeat in manu Crucifixum tenens.

Q. 12. Quid Sacerdotem oporteat facere in loco supplicii, ad quem si perventum fuerit?

℞. Præ omnibus quærendùm est ex Reo, num adhuc animum aliquid cruciet? conſcientiam gravet vel remordeat? ſi ſic, Sacerdos flectat cum eo, & ultimò confitentem abſolvat, moneátque de revocatione, ſi ad aliquam teneatur; eliciat actum amoris divini, contritionis perfectæ, & peragat cum Reo injunctam pœnitentiam vg. *unius Pater & Ave.* Refricet etiam in memoriam, ut Exemplô Chriſti ignoſcat inimicis ſuis ex corde.

Q. *Ultimò.* Quid agendum in ipſo actu Executionis?

R. Cum ab hoc articulo tota dependeat animæ ſalus, Reúſque nullis Dæmonum tentationibus ſeducatur, animandus eſt exquiſitis verbis ad hanc ultimam luctam, ſub qua, populô tacitè orante, Sacerdos ſuper ipſum reiteratò formet ſignum S. Crucis, eíque tàm diu acclamet, donec animam dederit æternùm triumphaturam in cœlis.
Amen.

Finis & Principium

Alpha & Omega

Nomen DEI

CVI soLI DebetVr oMnIs honor & gLorIa, VIrtVs sIne fIne IneXhaVsta.

INDEX

InDeX
sIngVLa perCVrrens IVXta aLphabetVM.

A.

Benedictio
- Ad initium boni operis. 117
- Absynthii, Rutæ. &c. pro incenso. 104. 237
- Annuli
  - B. Mariæ & S. Josephi. 61
  - Ordinarii, & Nuptialis. 62
  - Pro voto Virginitatis. 63

Agni Paschalis & Cæterorum. 102
Agnus Dei, ejus virtutes. 23-24
Antidotum Confessarii in peste, lue. &c. 281

S. Antonii de Padua
- Benedictio efficax. 105
- Pro re perdita. 106
- Responsorium pro felici morte. 300
- Confraternitas. 268
- Novenæ ortus & modus. 263-266

Benedictio Aquæ
- Lustralis ritu Romano. 1
- Solemnis miræ virtutis. 4
- S. Alberti. 90
- S. Francisci & Antonii. 83
- S. Huberti. 78
- S. Quirini contra luem. 89
- Contra vermes, mures. 201

Applicabilia contra afflictiones varias. 210
Astutia Dæmonis Exorcistæ Cavenda. 169
Adjuratio quid, & quomodo licita. 129
Ægri visitatio quale opus. 275
Æger obstinatus. 303
Agonizantium assistentia. 304
Ægrorum Consolationes. 278
Ægris quid meditandum sit. 275

Benedictio.
Super ægros. 279-281
Agrorum. 126
Arborum. 112
Armorum bellicorum. 48
Auri, Thuris, Myrrhæ. 94
Animalium, eorúmque pabuli. 193-195
Avium aliorúmque volatilium. 111
S. Agathæ schedularum contra ignem. 97

B.

Benedictio.
S. Blasii Candelæ contra malum gutturis. 96
S. Benedicti Numismatum. 65
Braxatorii & officinæ cujusvis. 121
Butyri & Lacticiniorum. 111
Bombardarum. 51
Breve contra Dæmones & maleficos. 36. 56. 54.

C.

Benedictio.
Christi Domini. 53
Catenulæ B. Mariæ V. 60
Candelæ extra purificationis diem & S. Blasii. 96
Campanæ pro laude Dei. 123
Chartæ pro rebus Sacris. 34
Capsarum pro Reliquiis. 20
Cereæ massæ. 27
Chordæ S. P. Francisci. 243
Cilicii gestandi. 58-68
Conjugum maleficiatorum. 203
Coronæ B. M. V. & Jesu patientis. 59
Crucis Vexilli. 44

Car-

Benedictio. Carnium, Casci, Comestibilium. &c. 103-111 112. 114.
Benedictio. Cellæ vinariæ, cerevisialis. 124
Benedictio. Crux contra tempestates. 46
Benedictio. Crucis forma pro Reliquiis. 211
Benedictio. Crux S. Zachariæ. 231

D.

Benedictio. Domûs In Sabbatho Paschæ. 101
Benedictio. Domûs Extra Pascha. 118
Benedictio. Domûs Novæ; ne comburatur. 119
Benedictio. Domûs Infestatæ à Dæmonio. 182
Dæmoniacorum signa. 133-147
Dæmonis Fraudes. 169
Dæmonis Conjuratio Ad quævis loca. 184
Dæmonis Conjuratio ut restituat accepta. 329-331
Dæmonis Præceptum expulsivum. 168

E.

Ecclesiæ Notæ & preces in agone. 305-314
Eucharistiæ anagramma & preces. 281. 287-290.
Extrema unctio, vis, & forma. 291-292
Exorcistarum Regulæ. 130
Exorcismi varii. Pro Obsessis à Dæmone. 135-136
Exorcismi varii. Pro Maleficiatis in proprio corpore. 148
Exorcismi varii. Pro Infectis quibuscunque. 157
Exorcismi varii. Pro Infirma prole. 174
Exorcismi varii. Pro Conjugibus impeditis. 203
Exorcismi varii. Pro Domo vexata à Dæmone. 182
Exorcismi varii. Pro Animantibus afflictis & noxiis terræ. 199 190.
Exorcismi varii. Pro Lacte, Butyro. &c. maleficiatis. 195-198
Exorcismi varii. Pro Lactis Materni ablatione. 208

F.

Bened. { Contra febres, morbos &c. 54
Consolatio ob Ord. Apostatas. 320
Fraternitatis origo. 241
S. P. Francisci | Sorores & Fratres 3. Ord. 256. seq.
{ Chordigerorum privileg. indulg. 243. seq.
Ord. Affiliatio ejúsq; fructus. 271
Fumigatio contra Dæmones, maleficia. 235-237
Feri Conventualis precatio super fruges. 126
Benedictio. { Frugiferæ terræ. ibid.
Fructuum novorum, 107
Furni, fornacis in quavis officina. 122
Febricitantium. 220

G.

S. Georgii Numismata benedicta. 64
S. Gertrudis benedictionis postulatio. 56
Gladii & granarii benedictio. 50-125

H.

S. Huberti { Panis pro jumentis. 73
Sal & Aqua 78
Clavis usurpatio. 81
Novendiale. 82
Benedictio. Herbarum { Prima Maji. 104
In Festo Assumpt. B. M. 107
Pro suffumigio 235
Pro fumigatione contra maleficia. 104. 237
Rutæ, Rosæ, Absynthii. 235
Habitationis. 118 Horrei. 125

San-

I.

Benedictio. SS. Imaginum { Sanctissimi nominis Jesu. 41
Christi Domini. 42
B. Mariæ Virg. ibid.
S. Joannis Nepomuceni. 69
S. Joannis Evangeliorum. 14
Iconum in genere. 44 }
Indulgentiæ pro infirmis, & vivis. 250. 270
Infirmorum solamina, suspiria pia. 275. 278. 287. seq.
Benedictio. Ignis { Ne comburat domos. 119
Ad maleficii signa cremanda. 324
Pro sacra massa condensanda. 28
In furno fusorio. 122
In quavis officina. ibid.
Contra incendium sæviens. 213 }

L.

Benedictio. { Lactis Materni desiccati. 208
Lactis 112. Lacticiniorum. 111
Lactis & mellis. 115
Lardi. 110, Loci cujuslibet. 118 }
Litaniæ { De omnibus Sanctis. 187
Pro omni necessitate. 210
De Corde Jesu. 295 }

M.

Bened. B. Mariæ { Ad Apostolos. 53
Rosarii, catenulæ. 59. 60
Scapularis. 57
Annuli, armillarum. 61
Epistolæ ad Messanenses. 53 }

Meda-

Bened. Medaliorum in genere. 67
Bened. Medicinæ, omniſque materiæ potabilis 116. ſeq.
Bened. Mulieris Prægnantis & in puerperio. 205
Bened. Mulieris Purificandæ poſt partum. 207
Bened. Mulieris Infirmæ. 250. 280.
Maleficiatorum. Cur non omnes liberentur. 239
Maleficiatorum. Diſpoſitio ad liberationem. 154. 160.
Maleficiatorum. Signa in pueris & aliis. 173. 197
Maleficiatorum. Puerorum liberatio. 172
Modus maleficium Infirmandi. 166
Modus maleficium Deſtruendi. 322
Modus maleficium Diſcernendi ſpirit. malos 178
Modus Conſolandi Amicos defuncti. 308
Modus Converſandi cum Hæreticis. 311
Modus Agendi cum Sagis. 321
Modus Tractandi cum incarceratis. 333
Modus Educendi Reos. 340
Modus Meditandi pro ægris. 275
Modus Ejiciendi dæmones. 168
Modus In- & exuendi infantes habitu Ord. 253. 255.

N.

Notæ Eccleſiæ veræ. 314
Benedictio. Navis novæ. 120
Benedictio. Novorum fructuum. 113
Benedictio. Novi fontis. 119
Benedictio. Numiſmatum in genere. 67

O.

Benedictio. Olei Simplicis pro cibis. &c. 115
Benedictio. Olei Pro maleficiatis ſolemnis & prob. 223
Benedictio. Ovorum in paſchate. 103
Benedictio. Officinæ cujuſcunque. 121

Obsessi { Signa. 133. 147
Dispositio. 134.
Liberatio. 168. }
Orexis Eucharistica. 281.

P.

Parochi obligatio. 130. 274.
Bened. { Panis { In Cœna Domini. 99
S. Huberti. 73
Simplicis. 103. 113 } }
Preces { Pro terræ frugibus. 126
Pro sanitate recuperanda. 276 }
Benedictio. { Paramentorum Sacerdotalium. 16
Pomorum & Potabilium. 113. 117.
Prolis non infirmæ. 176.
Pro Conjugatis. 204.
Putei novi. 119.
Pulveris tormentarii. 51.
Potus matorius quid? 216
Papuli animalium in festo S. Stephani. 193 }

Q.

S. Quirini Mart. aqua bened. 89
Quisellæ 3. Ord. S. Francisci. 257
Quæstiones { Ad ægrum. 302
De ritu pro mortuis. 309
Pro Exorcistis licitæ. 129. 131. }

R.

Bened. { Rutæ-Rosæ, &c. 104. 166. 237.
Rosariorum. 59.
Repositorii. 125 }

Regu

Regulæ Exorcistarum. 130
Refugia ægrorum ad Sanctos. 294. seq.

Remedia contra { Philtrum. 216
Morbum Caducum & rabidum. 214
Morbus canum rabidorum.
Tempestates, tonitrua. 212
Febres, febricantes, pestes. 218. 220
Dæmones suc- & incubos. 233. }

Regulares valent { Benedicere paramenta. 15
Dispensare cum incoestuosis. 273 }

Reorum { In cavere consolamen. 333
Captura beneficium Dei. 334
Instructio & Examen. 335
Confessarii cautelæ. 336
Eductio ad Carnificinam. 341 }

S.

Benedictio. { S. Salvatoris ab horta super ægros. 54
Sagittarum S. Sebastiani, & cujusvis sancti. 66
Scapularis. 57-58
Schedularum S. Agathæ. 97
Scalæ Sanctæ. 24
Seminum prima Septembris. 108
Salis. 103. 195. 78
Stabuli. 192 }

Spirituum malorum indicia. 181

Sagarum { Plures fœminæ quàm viri. 322
Examen, confessio. 325
In carcere an cripi & nocere queant. 328 }

Sententiæ consolatoriæ pro ægris. 278

T.

Tertiarii Ord. P. F.
- Eorum origo & ad missio. 256.-257.
- Privilegia. 261
- Habitum non legitimè gestantes. 260
- Valent uti Breviario Ordinis.

V.

Benedictio
- Vinculorum mancipatûs parthenici. 60
- Vexilli bellici & Ecclesiastici. 44 - 49
- Vinetorum seu Vineæ. 125
- Vini
  - S. Joannis Evangelistæ. 91
  - Novi & Nuptialis. 114
  - Et Ciborum simul. ibid.

S. Vincentii / S. Valentini — Super infirmos. 55. 56-300.

Actus Virtutum
- Theologicarum. 282
- Resignationis, patientiæ. 284
- Contritionis. 285
- Pro ultima Confessione. 286

Z,

S. Zachariæ Crux contra pestem. 231

Forma Abſolutionis ab Hæreſi.

Miſereatur tui &c. Indulgentiam. &c. *more ſolito.*

DOminus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat & ego authoritate ipſius & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non authoritate mihi conceſsâ abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, quô teneris propter hæreſin, in qua vixiſti; & incorporo te gremio S. Eccleſiæ, Communioni fidelium & participationi Sacramentorum ejuſdem S. Romanæ, Catholicæ, & verè Apoſtolicæ Eccleſiæ. Deinde eâdem authoritate abſolvo te ab omnibus peccatis tuis in Nomine Pa † - tris, & Fi † lii, & Spiri † tûs S. Amen.

Abſolutio Apoſtatæ à Fide.

NB. *Fit uti ſupra uſque ad ly* quô teneris *poſtea* propter Apoſtaſiam à fide & errores, quos fortaſſis cum aliis tradidiſti, & reſtituo te gremio. &c. *ut ſupr.*

Abſolutio à Suſpenſione & Interdicto.

Extra vel intra Sacramentum.

NB. *uti ſuperius* Miſereatur. &c. Indulgentiam. &c. Authoritate mihi ab N. traditâ, ego te abſolvo à vinculo ſuſpenſionis (vel interdicti (quam) vel quod) propter tale factum (vel cauſam) incurriſti ſeu incurriſſe declaratus es. In Nomine Patris. &c.

Abſolutio ab Irregularitate.

NB. In Confeſſ. poſt abſol. à peccatis, & extra.

Et ego eadem authoritate diſpenſo tecum ſuper irregularitate, quam ob talem N. cauſam incurriſti, & habilem reddo, & reſtituo te executioni ordinum & officiorum tuorum. In nomine Patris, &c.

Ubi titulus beneficii cum fructibus reſtituitur, additur & reſtituo tibi titulum beneficii & condono tibi fructus malè perceptos. In nom. Pat. &c.

F I N I S.

B. ANDREAS de Comitibus. Ord. F.F. Min. Beatif. A.o 1724

B. ANDREAS Cacciola. Ord. F.F. Min. Beatif. A.o 1738

I. Eueraerts Col.

O du heylsames
Opfer, welches uns
eröffnet die thür
des Himmels
unterdruckes die
feintliche kriege
verleihe uns stärc-
ke gebe uns hülffe.
Gelobt werde daß
H. Heilige Sacrament.
und die unbefleckte
Empfängnus der aller
sehligsten Jungfraw
Mariæ
Gebett
von pabst Sixto dem V
selbst componirt und nie-
gimb deren welche keiner
thod sündt behaft solches
andächtig betten mit ab-
las von eilf tausendt Jahren
begabet von Paulo V. und
Alexandro VII. bekräfftiget
Gegrüßet seyes du
H. heilige Maria eine
mutter Gottes Königin
des himmels eine thür
des Baradeis. herrsche-
rin der welt. du bist
die sonderbahre aller-
reineste Jungfraw. du
bist ohne erbsünt em-
pfangen und derohal-
ben die allerunbefleck-
te: du hast ohne mackel
unseren Erlöser Iesum
Concordat originali
empfangen du bist ahn
warhafftigsten vor: in
und nach der geburt unbe-
fleckt geblieben. verleihe
mir doch durch dein al-
ler heiligst vorsprechen
das ich möge rein gottse-
lich und heilig leben und
bitte vor uns deinen ge-
liebten söhn Iesum nehme
mich auff nach meinem
thodt: erlöse mich vō al-
len übelen meines leibs
und meiner sehlen, und ver-
leihe mir daß andere dar-
von erledigen möge zu-
gleich auch die werck der
barmherzigkeit zuwegen
bringen und in der herr-
lichkeit des Paradeies mit
dir in ewigkeit mich erfrewē
amen
Romæ impresso